UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

Visual Library


Th
5872

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SL
2r

Ph. 5872.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





ANTONY BYNÆI DE CALCEIS HEBRÆORUM

Libri duo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Ex legato Celsi Principis Ferdin Epi
Caud et Monad. Abbis 1683

ANTONII BYNÆI

de

CALCEIS HEBRÆORUM

LIBRI DUO.

Cum Tabulis æneis elegantissimis, & Indicibus uberrimis.

Accedit

SOMNIUM

DE LAUDIBUS CRITICES.



DORDRACI

Ex Officina Viduæ *Caspari*, & *Theodori Goris*.

CIↃ IↃC LXXXII.

VIRIS NOBILISSIMIS
ET GENEROSISSIMIS,

JACOBO GODINO,
DOMINO BOELESTEINII,
AMISFURTENSIUM PRÆTORI,

ET

JOHANNI LUDOVICO GODINO,
DOMINO MAARSENBROEKIÆ, CANONICORUM ÆDIS MARIÆ TRAJECTI AD RHENUM PRÆPOSITO,
FRATRIBUS GERMANIS,

S. P. D.

ANTONIUS BYNÆUS.

OMnes homines, quos non humiles & plane sordidos natura finxit, summa ope niti decet, ut ingrati animi notam effugiant. Quod vitium ad plurimos propagatum est, qui multis & maximis beneficiis cumulati, ea dissimulant vel obliviscuntur. A quibus ita dissentio, ut quidvis potius in me desiderari quam gratum animum malim, & omni ratione cavendum existimem, ne vel ipsam tanti criminis suspicionem incurram. Quare, cum Vos, Nobilissimi GODINI, ex eo ipso die quo mihi aditus ad amicitiam vestram patuit,

tuit, quam præcipue mihi conciliavit vir optimus, & inter prima seculi ornamenta numerandus, literarum jam senescentium reductor & reformator, JOHANNES GEORGIUS GRAEVIUS, cujus judicio inprimis multum tribuitis, de meis commodis & ornamentis non cogitare solum, sed agere etiam cæperitis, & nullum officii aut studii genus, quod quidem ad meam, sive utilitatum, sive laudem pertineat, prætermiseritis, meritorum Vestrorum conscientia me dies noctesque sollicitat, & tanquam acerrimus flagitator assiduo convitio urget, ut gratæ voluntatis significatio

eluceat. Sane flagitium nunquam expiandum me committere censerem, si, cum Vos omni genere virtutis excellentes, ampla dignitate præditi, acerrimi in cognoscendis hominibus judicii, in me ornando sitis assidui, istam Vestram ad me augendum tam propensam voluntatem, plurimi apud me & esse, & semper fore, non significarem. Id hoc tempore qua re alia consequar non video, nisi ut mittam ad Vos muneri hos libellos, in quibus nihil aliud mihi propositum fuit, quam ut adferrem aliquid auxilii nonnullis obscuris Sacri Codicis locis, & iis literis, quarum singularis pulchritudo

do mentem meam usque à puero admirabili quodam sui desiderio incenderat. Parvum munus, fateor: sed & à magno animo proficiscitur, & Vobis non ingratum futurum confido, quos non tantum his insigniter oblectari, verum etiam ea esse eruditione scio, ut si quid à me dictum est quod antiquitatem & nobilium auctorum monumenta illustret, bene de eo præclareque judicare possitis. Valete Fratres Nobilissimi. Piersphillæ in Batavis A. D. IX. Kal. April. Gregor. CIↃ IↃC LXXXII.

LECTORI BENEVOLO.

CALCEUM, *immundissimam pedum tutelam, summa totius orbis ingenia non indignum judicarunt, quem magna diligentia describerent, qualis apud Græcos & Romanos fuerit. Præter ea quæ passim monuerunt Adrianus Turnebus, Iustus Lipsius, & complures alii, qui doctrina præ cæteris floruerunt, multum studii operæque posuerunt viri elegantissimi & pereruditi Benedictus Balduinus, Albertus Rubenius, &, qui Caligam peculiari dissertatione asseruit, Julius Nigronus. Ipsi literarum princi-*

principes Isaacus Casaubonus, Claudius Salmasius, Octavius Ferrarius, de Græcorum & Romanorum calceis multa docuerunt, plura præstituri; nisi inevitabili fatorum lege Reipublicæ literariæ erepti fuissent. Si industriam suam in calceis Hebræorum æque exercuissent homines maximi, quorum merita erga sacram literaturam nulla tacebit ætas, supersedere potuissem hoc labore. Monuerunt quidem varia viri eximii, tum qui perpetuos in Sacrum Codicem commentarios, aut in partes ejus aliquot congesserunt, tum qui alia præclara monumenta ediderunt in lucem. Sed nemo,

quod quidem ego sciam, hanc materiam cum cura tractavit & singulari volumine complexus est, & omnes illi non tantum plurima posterorum diligentiæ reliquerunt, uti multa adhuc latent in divinæ sapientiæ arcanis abstrusa atque abdita, quæ eliciet & evocabit in lucem qui iis investigandis suum studium dederit, verum etiam sæpissime errarunt, uti nemo tam propitia Minerva natus est ut nunquam dormitet, quod profecto neque cuiquam unquam contigit, & majus est quam ut convenire in humanam fragilitatem queat. Quare hoc argumentum occupavi ego, & paulo plenius ac uberius

rius pertractavi, ut multa sacrarum literarum loca, obscura atque tenebricosa & nondum satis intellecta, ex Hebræorum & aliarum gentium antiquis monumentis aliqua luce perfunderem, &, depulsa tetra caligine & densissimis nebulis, redderem quam clarissima. Constat enim sine hoc literarum & antiquitatis instrumento, ne millesimam quidem partem sacrorum voluminum posse intelligi, & eum, qui non instructus hac face in Prophetarum & Apostolorum scriptis recte enarrandis se versari posse persuasum habet, non minus falli, ac qui in terra Cimmeriorum, perpetua no-

cte merſa, nullo prælucente, ſine ceſpitatione & ſine errore incedere ſe poſſe exiſtimat, cum loca innumera nihil magis intricata & difficilia reddat, quam vetuſtorum rituum ac morum, præcipue Judaicorum, ignorantia, quæ nemo, licet ingenii divinitate omnes antecellat, & cæteras diſciplinas non ignoret, ſine eorum cognitione & penitiori notitia, unquam explicabit. Vale, Lector benevole, & hoc opuſculum, quod novis indies acceſſionibus creſcet, limatius in ſecundis curis aliquando expecta.

In-

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMI

CAPUT PRIMUM. pag. 1.

CAlceum, pedum tutelam, neceſſitas invenit. 2. Balduini opinio, Adamum primum ſutorem, imo ipſum Deum fuiſſe. 3. Ejus tamen ratio, licet ingenioſa, id non perſuadet. 5. Calceis homines non diu caruerunt. 7. Jam Abrahami ævo vulgaris eorum uſus. ibid. Veteres non ſemper, uti nos hodie, calceati. 8. Samuelis Bocharti laus. 11. Ἀνυποδησίαν etiam inter Hebræos uſitatam fuiſſe conjicit. ibid. Ab eo diſſenſum. 12. Hebræi, non niſi ob religionem, aut certum ritum nudipedes, alias calceati. 13. Id pluribus oſtenditur. 14. Loca Jeſ. 11. 15. & 20. 2. 3 4. explicata. 15. Chriſtus an calceatus an diſcalceatus inceſſerit diverſæ ſententiæ. 18. Chriſtum ex more gentis calceatum fuiſſe evidenter probatur. 19.

CA-

INDEX

CAPUT SECUNDUM. pag. 20.

Calcei olim ex varia materia confecti. 21. *Hebræorum calceos ex pellibus videri.* 22. *Multarum gentium veſtimenta pellicea.* ibid. *Calcei ex pellibus & corio crudo primum.* 24. *Apud omnes gentes uſus corii in calceis.* ibid. *Apud Græcos phæcaſia,* τροχάδες δρανίδες. 25. *Apud Romanos perones, calcei ſenatorii, caligæ, Imperatorum zanchæ ex peliibus.* 26. *Apud Hebræos veſtes pellicæ in frequenti uſu.* 29. *Pariter & calcei ex corio videntur.* 30. *Loſus Ioſ.* 9. 5. *expoſitus.* 31. *Lxx. interpretum verſio & Vulgata explicatur.* 32. *Pittacium quid?* 33. *A Caſaubono leviter diſſenſum.* 34. *Veterum Hebræorum calcei vili pretio conſtiterunt.* 37. *Loca Amos* 2. 6. & 8. 6. *illuſtrantur.* 38. *Martini Gejeri error.* 39. Σίμων βύρσευς *Act.* 9. 43. 40. *Coriarii urbium ambitu excluſi.* 41. *Loco Act.* 10. 5. *lux facta.* ibid.

CA-

CAPITUM.

CAPUT TERTIUM. pag. 42.

Calcei ex variis animalium pellibus olim confecti. 44. תחש *apud Ezechielem cap.* 16. *vers* 10. *de* taxi *vel* taxonis *pellibus multi exponunt.* 45. תחש *male pro* taxo *sumitur.* 46. *Inertum an veteres ex taxi pellibus calceos gestarint.* 47. *Calcei taxei quam viles.* ibid. *Interpretes antiqui* תחש *coloris nomen volunt.* 48. *Varia interpretamenta.* ibid. *Non est color niger.* 49. *Mulieres olim nigros calceos non gestarunt.* ibid. *Neque cæruleus, ut Hieronymus & alii* ὑάκινθον *interpretantur.* 50. *Calcei cærulei Regum Gallorum.* 51. *Dubium an iis veteres usi.* 52. תחש *color est purpureus vel hysginus juxta Bochartum.* 53. תחש *color quem* לכא lacca *Talmudici vocant.* ibid. לכא lacca *color ruber corii.* 55. *Calcei rubri sive coccinei magno loco habiti.* 56. *Albanorum & Romanorum Regum gestamen.* 57. *Locus Dionis de calceatu Cæsaris, à Ferrario & Salmasio tenta-*

tentatus, emendatur. ibid. *Calcei mullei, qui rubri fuerunt, ab iis qui curulem gesserant magistratum, & triumphantibus sumpti.* 61. *Imperatorum Constantinopolitanorum proprii calcei rubri sive coccinei.* 62. *In ornatu Pontificum rubea sandalia.* 64. *Mulieres olim rubros calceos gestarunt.* 65. *Iudæorum magnates in festis solemnibus iis usi.* 66. *Etiam in Oriente virgines nobiliores.* ibid. *Locus Cant.* 7. 1. *nondum satis explicatus, illustratur.* 67. *Multorum interpretum* περιφρασεις *notata.* ibid. *In locum Iudith* 10. 3. *&* 16. 11. *conjectura.* 70.

CAPUT QUARTUM. pag. 71.

EMpedocles *æreos vel ferreos calceos gestavit.* 72. *Locus. Deut.* 33. 25. ferrum & æs calceus tuus, *nondum à quoquam recte expositus.* 74. מגעל pessulum *vel* seram *Arabes vertunt.* 75. *De urbibus munitis interpretantur Chaldæus, Kimchi & Iarchi.* ibid. *Ejusdem sensus meminerunt Belgæ &*

Coc-

Coccejus. ibid. מגעל cum מגעל confusum. 76 Ascheritarum urbes non adeo munitæ. ibid. מגעל compedem Samaritanus reddit, quem Andræas Masius sequitur. 77. מגעל nunquam pro compede sumitur. 78. Masii sententia refutata. 79. מגעל vulgo calceus. 80. Ascheris portionem æris & ferri fodinis fœcundissimam fore multi exponunt. ibid. Qui tamen omnes errant. 81. Masii non unus lapsus. ibid. Æs in Carmelo monte quidem, sed is pertinuit ad portionem Isascharis. ibid. Nullum æs in Libano vel Antilibano. 82. χαλκολίβανον haudquaquam æs ex Libano monte effossum. 83. Sarepta unde dicta? 84. Johannis Cocceji sententia. 85. A viro magno dissensum. ibid. Dubium an veteres extra militiam calceos ære vel ferro suppactos habuerint. 86. Neque de calceo ferro suppacto hic locus exponi potest 87. Nostra quondam de hoc loco sententia. ibid. Nova expositio nostra. 88. מגעל Κνημίδας h. e. ocreas notat. 89. Veteres cum

cum ad prælium irent ocreis ex ære & ferro pedes muniverunt. ibid. *Unde alluſio ad denotandum bellicoſos homines.* 90. *Verba ſequentia* וכימך רבאך *explicata.* 91. *Senſus ex eventu confirmatus.* 92. *Ex Curtio mendum ſublatum.* ibid. NICOLAI HEINSII *encomium.* 93. 94.

CAPUT QUINTUM. pag. 95.

PAuli *monitum, quo Chriſtianos calceari vult* ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. *Epheſ.* 6. 15. 97. *Milites olim calceati.* 98. *Caligæ* στρατιώτικον ὑπόδημα. 99. *Locus* 1. *Reg* 2. 5. *illuſtratur.* 100. *Quid* ἑτοιμασία εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης? 101. Ἑτοιμασίαν præparationem, promptitudinem *omnes reddunt.* ibid. *Vatabli, Grotii, Cocceji, Zegeri, Belgarum diverſæ interpretationes.* ibid. *Ab omnibus diſſenſum.* 103. Ἑτοιμασίαν *neque* præparationem, *vel* promptitudinem *hic ſignificare, neque ea calceari velle Apoſtolum vel ad propagandum Euangelium vel confiten-*

dum,

dum vel annunciandum, variis rationibus ostenditur. ibid. *Multa vocabula novas significationes ex imitatione vocum Hebraicarum acceperunt.* 107. Ἐπιμασία *apud Græcos interpretes novam significationem habet, &* basin, fundamentum *notat.* 108. *Hac significatione usus est Paulus.* 111. Ἐπιμασία εὐαγγελίῳ τῆς εἰρήνης *est* fundamentum Euangelii pacis. 112. *Quam apte ita Paulus loquatur?* ibid. Fundamentum Euangelii *est firma & solida cognitio Euangelii.* 113. Εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης *quare dicatur?* 114. *Locus Luc. 2. 14. à solo Lichtfoto bene intellectus.* 115. *Error omnium vel in prava lectione vel distinctione.* 116. *Græcorum verborum constructio evidenter ostensa.* 117. *Quid* ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία? 119. *Quomodo hæc sit* δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ? 120. Εἰρήνη ἐπὶ γῆς *non ea pax est qua Augusti temporibus orbis fruebatur.* 121. *Pacem Messias inter Judæos & gentes constituit.* 123. Εἰρήνη *reconciliationem veniam delictorum significat, ut* שלום *apud*

apud Hebræos, & Latinis ſcriptoribus pax Dei vel Numinis. 125. *Hanc pacem Meſsias adferret.* 127. *Ejus cauſa* εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις. 128.

CAPUT SEXTUM. pag. 130.

Calceorum varia & multiplex forma. 132. *Apud Hebræos qualis fuerit incertum.* ibid. *Soleas tantum in uſu apud Hebræos veteres fuiſſe conjicitur.* 133. *Soleæ antiquiſsimum calceamenti genus.* ibid. *Priſca apud Græcos & Romanos calceamentorum nomina ſoleas notant.* 134. Σανδάλιον, ὑπόδημα, calceus. ibid. *Vox Hebræa* נעל ſoleam *ſignificat.* 136. *Ita reddunt veteres interpretes.* 137. סנדל *vel* סנדלא *apud Jonathanen & in Targum Hieroſ.* σανδάλιον, *ſolea.* ibid. *Pariter* ὑπόδημα *apud LXX. interpretes* 138. *&* caliga *apud Vulgatum.* 139. *Caliga optime exhibet figuram ſolearum quas Hebræi geſtarunt.* 140. *Mos Hebræorum pedes hoſpitum lavandi inde natus quod ſoleis uterentur.* 141. κονίποδες, *cal-*

caleamenti genus. 142. *Calceos cavos usitatos fuisse frustra concluditur ex calceis Gibeonitarum.* 143. *Item ex eo quod habuerint calceos rubros sive coccineos.* ibid. *Hebræi veteres tibiatim calcearunt.* 144. *Apud veteres soleæ ad crus corrigias extenderunt.* 145. *Cothurni, campagi, caligæ, soleæ.* 146. *A Ferrario dissensum.* ibid. *Aliis Orientis populis idem usitatum.* 149. *Soleæ rubræ vel coccineæ dictæ à corrigiis quæ ad suras perveniebant.* ibid. *Calceos cavos apud Hebræos usitatos colligunt eruditi quod* ὑποδήματα *tanquam à* σανδαλίοις *distincta in Euangelica Historia memorantur Matth.* 10. 10. *& Marc.* 6. 9. 150. *Salmasii, Balduini, Lichtfoti sententia.* ibid. *Ab ea dissensum.* 152. *Calceus sine toga non sumebatur.* ibid. *Iudæi tunicis usi.* 153. *Nullo discrimine* ὑποδήματα *&* σανδάλια *usurpantur.* ibid. *Alia Matthæum cum Marco conciliandi ratio.* 154. *Mendum è vulgatis Matthæi codicibus sublatum.* 155. *Non* ὑποδήματα *sed dúo* ὑποδήματα

vetat

vetat Christus. 156. *Lichtfoti rationibus fit satis.* 159.

CAPUT SEPTIMUM. pag. 162.

Oleæ habenis teretibus vinctæ apud Romanos, Græcos, Hebræos. 163. *Corrigiam Hebræi eleganter* שרוך *vocant, & Græci LXX.* σφαιρωτῆρα. 164. *Corrigiæ olim varia ratione pedibus circumvolutæ.* ibid. *Locus Iudith* 10. 3. & 16. 23. 165. *Verbum* משרתיו *Ier.* 2. 23. *obscurum.* 166. *Recentiorum interpretum expositio rejecta.* ibid. *Conjecturæ Lud. de Dieu expensæ* 168. *LXX. interpretes & Vulgatus notati.* 170. *Nostra verbi* משרתיו *& totius loci explicatio.* 171. *Olim corrigiæ ex corio fuerunt.* 174. *Hinc non magni pretii.* 175. *Locus Gen.* 14. 23. *illustratur.* ibid. *Variæ loquendi rationes à corrigiis desumptæ, quæ apud veteres significant exuere calceos.* 176. *Locus Ies.* 25. *interpretibus male acceptus.* 177. *Nostra explicatio.* 178. *Balduini expositio.* 179. *Error Balduini & Glossæ ordi-*

ordinariæ. 180. *Vincula calceorum sive corrigias solvere vilissimum ministerium apud Græcos, Romanos, Hebræos.* 181. *Johannis Baptistæ dictum,* οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς κύψας λῦσαι τὸ ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ *exponitur.* 184.

CAPUT OCTAVUM. Pag. 185.

CAlceus immundissima pedum tutela. 186. *In eo tamen magnus olim luxus, præcipue fœminarum.* 187. *Hebræorum mulieres iis luxuriasse multi observant ex Jes.* 3. 18. ibid. עכסים *an calcei?* 188. *Multa & diversa istius vocis interpretamenta.* 189. עכסים *ornamentum simile compedi.* 190. *Talmudicorum & Maimonidis sententia.* 191. *Compedes aureas in pedibus, itidem ut armillas in brachiis in Oriente fœminæ gestarunt.* 192. *Qui mos etiamnum obtinet.* 193. *Perisælides in mundo muliebri apud Græcos & Romanos.* 194. *De perisælidibus loca Senecæ, Plinii, Petronii, Manilii cum Salmasio & Ferrario explicata.* 195. *A Rubenio dissensum.* 196. *Locus Jes.* 3. 16. *exponitur.* 198. *Petronii*

Satyricon quatuor locis emendatum. 199.

CAPUT NONUM. pag. 203.

Lunula patritii calcei apud Romanos ornamentum. 205. *Hebræorum fœminas lunulis calceos ornasse conjicit Balduinus ex Jes.* 3. 18. 206. *Error Balduini & Vulgati interpretis.* 207. *Frequens in oriente lunularum usus vetustißimis temporibus.* 208. *Ex Lunæ cultu ortus.* 209. *Cur Muhammedani templorum fastigiis lunulas imponant?* 210. *Lunulæ non calceorum, sed colli ornamentum.* 211. *Multorum circa formam lunularum error.* 213. *Lunulæ ornamentum instar Lunæ corniculantis.* 214. *Lunæ nomen* מגי *Jes.* 65. 11. *nemo interpretum videtur intellexisse.* 217. *Variæ sententiæ.* 218. מגי *à* מנה *numerare Lunam notat, quia per Lunas annos & menses veteres numerarunt.* 219. *Simile Lunæ nomen in plerisque linguis.* 220. *Arabum idolum Menath Luna.* 221. *Græcis Luna* Μήνη. 223. Θεὸς Μῆνος *in Asia minore.* 226. *Deus Mana apud Romanos.* 228. *Lxx. Interpretum*

pretum versio non intellecta explicatur. 229. Δαίμων *pro sole &* τύχη *pro Luna.* 230. *Ritus vetustissimus Ægyptiorum.* 231.

LIBRI SECUNDI.

Caput Primum. pag. 233.

Pascha comedendum calceatis pedibus Exod. 12. 11. 235 *Variæ de ratione illius præcepti sententiæ.* ibid. *Refellitur prima, quæ vult viatorum calceos, à vulgaribus distinctos, præcipi.* 236. *Item secunda, quæ alludi putat ad morem veterum, qui cænabant discalceati, mensis accumbentes.* ibid. *Veteres Hebræi, ut Heroes Homerici, & alii populi, sederunt.* 238. *Mos accumbendi sero ad Hebræos pervenit.* ibid. *Samuel Bochartus Judæos in Ægypto calceis caruisse & Deum ipsis de calceis prospexisse conjicit.* 240. *Judæi non fuerunt in Ægypto* ἀνυποδήτοι. 242. *Neque lex loquitur de calceis comparandis, sed de iis induendis quos habebant.* ibid. *Locus Deut.* 29. 5. *Explicatur.* 243. *Rationem præcepti*

cepti ipse Deus dedit, qui Judæos ad iter voluit paratos. 244. *Viatores calceos sumebant.* 245. *Cavit Deus ut essent calceati, ne in calceis foret mora, cum ab Ægyptiis expellerentur.* 246. *Quare is ritus tantum pro illo tempore fuit.* 247. *Neque Christus eum observavit, more istius ævi, sine calceis accumbere solitus.* 248. *Locus Luc.* 7. 38. *Illustratur.* 249. *Etiam Joh.* 13.4.250.

CAPUT SECUNDUM. pag. 252.

Religio nudis pedibus templa intrandi apud varias gentes. 253. *Apud Hebræos nemo cum calceis templum ingrediebatur.* 254. *Ante Synagogam hodie vel purgant vel exuunt calceos Judæi.* 255. *Moses & Josua jussi calceos exuere. Exod.* 3. 5. *& Ios.* 5. 15. 256. *Veræ istius Ceremoniæ ratio.* ibid. *De Mosis calceis lepida commenta.* 257. *Ex hoc Dei mandato apud Hebræos circa loca sacra religio manavit, ut ea calceatum intrare ducerent nefas.* 259. *Quæ ratio etiam alias gentes permovit.* 260.

CA-

CAPUT TERTIUM. pag. 260.

Gentilium sacerdotes, licet aliquando discalceati, tamen ut plurimum calceati rem divinam fecerunt. 262. *Sacerdotes Hebræorum non nisi nudipedes sacra peregerunt.* 263. *Lex de sacris vestibus Exod.* 28. ibid. *In ea calcei non memorantur.* ibid. *Sacerdotes pluribus vestibus non induebantur, quam Deus preceperat.* 264. *Unde nec calceos in sacris habuerunt.* 265. *Quod etiam evincitur ex eorum lotionibus in atrio.* 266. *Conclave sacerdotum in quo pavimento calefacto hiberno tempore inambulabant.* 267. *Sacerdotum morbi vel præcipue oriebantur, quod nudis pedibus in pavimento starent* 268. *Quod ob sanctitatem loci ab iis exigebatur.* ibid. *Non vero ob eam rationem, quam Stukkius innuere videtur.* 269. *Multo minus ob eam, quam non omnino improbat Johannes Braunius.* 270. *Aaron male cum calceis exhibetur in tabulis quibusdam.* 272. *Insignis Plutarchi error, qui Pontificem Hebræorum* Κοδόγυος

sacra feciſſe tradit, refellitur. 273.

CAPUT QUARTUM. pag. 275.

VAria humilis coram Deo animi indicia apud veteres Hebræos fuerunt. 276. *Etiam inceſſerunt nudipedes.* ibid. *Male id colligitur ex exemplo Achabi* 1. *Reg.* 21. 27. 277. *non* diſcalceatum, *ſed* ſenſim, pedetentim; *notat.* ibid. *Judæi in feſto expiationis nudipedes.* 278. *Etiam in Tiſcha Be Af.* 281. Nudipedalia *quale feſtum apud veteres.* 282. *Multi Chriſtiani in publicis ſupplicationibus nudipedes.* ibid. *Nudipedalium origo non ex Judæorum jejuniis & γυμνοποδίᾳ petenda.* 283. *Vota nudis pedibus ſoluta.* 284. *Berenices exemplum.* ibid. *Juvenalis locus explicatur.* 285. *Error Iuvenalis.* 286. *Iudæi Sabbata non obſervarunt mero pede.* ibid. *Alius error Iuſtini, Petronii, Martialis, Auguſti, Strabonis.* 287. *Judæi Sabbatis non jejunarunt.* 298. *Iuvenalis errorem rectè à Criticis notatum contra Iohannem Braunium oſtenditur.* 290.

CA-

CAPITUM.

CAPUT QUINTUM. pag. 292.

Luctus & dolor variis signis proditus. 293. *Hebræi in luctu incessérunt nudis pedibus.* 294. *Davidis exemplum* 2. *Sam.* 15. 30. ibid. *Virginum item Vestalium.* ibid. *Flori locus, aliter ac Vulgo fit, exponitur.* 295. *In loco Mich.* 1. 8. *duplex peccatum Græcorum interpretum.* 296. *Calceis captivos spoliare veteres soliti.* 297. *Obscurum locum Jer.* 2. 25. *ex hac consuetudine exponunt Castalio & Coccejus.* 298. *Ab iis dissensum.* 299. *Nostra istius loci explicatio.* 300. *Meretricum pedes nudi & discalceati.* 301. *Vini avidæ meretrices.* 303. *Hugonis Grotii sententia leviter notata.* 304. *Ob luctum mortui nudis pedibus incessérunt Hebræi.* 305. *Locus Ezech.* 24. 17. ibid. *De eodem ritu plura ex Maimonide, quem etiam observant hodie Judei.* 306. *Ex Suetonio morem hunc fuisse apud Romanos, ut in funeribus essent discalceati observarunt Balduinus & Braunius.* 308. *Male.* ibid. *Non fuit ritus usitatus in fu-*

neribus, sed honor peculiaris Augusto habitus. 309. Quod prolixius ostenditur. ibid.

CAPUT SEXTUM. pag. 312.

LEx apud Hebræos singularis, qua frater uxorem fratris sine liberis mortui ducere jubebatur, ut semen fratri suscitaret, Deut. 25. 5. 6. 313. In qua mirandum, ut qui id recusaret, à vidua conspueretur, & calceus ipsi extraheretur. vers 7. 8. 9. 10. 314. Cur calceus in hoc ritu adhibitus? 316. Balduini ratio examinatur. 317. Pedibus aliquid calcare olim signum Dominii & potestatis. ibid. Devictorum hostium cervices calcatæ. 318. Calceis signum Dominii. 319. Calcei exstractio signum cessionis de jure. ibid. Calceus in hoc ritu adhibitus in signum privari levirum omni jure, quod in viduam habebat. 320. Balduini circa hunc ritum lapsus. ibid. Error Thomæ Dempsteri, & Cypriani. 321.

CAPUT SEPTIMUM. pag. 322.

APud Hebræos non nisi aliqua formula sive Cerimonia adhibita fiebant

bant contractus. 324. *Antiquissimus ritus Ruth.* 4. 7. 325. *Calceum exuere Rabbini tradunt fuisse formulam traditionis, sive acquirendi Dominii.* ibid. *Josephus ad legem de leviratu refert.* 327. *Non unum Josephi erratum detegitur.* 329. *Mendum è Josephi codicibus sublatum.* 330. *Etiam alii cum lege de calceo leviro extrahendo confundunt.* 331. *Horum sententia ex Abarbanele refutatur.* ibid. *Nihil in hoc ritu esse, quod cum lege in Deuteronomio conveniat, variis rationibus ostenditur.* 334. *Hugonis Grotii argumentis fit satis.* 335. *Calcei extractio Cerimonia fuit in firmandis contractibus, qua juris cessio significabatur.* 337. *Objectio non contemnenda, qua ratione Ruth a ducenda erat, si non ex jure de leviratu hæc agerentur, solvitur.* 339. *Ex redemptionis jure id fieri prolixe demonstratur.* 341. *Dissensus interpretum quisnam calceum extraxerit, an vindex an Boozus.* 344 *Illum qui jure suo cedebat calceum exuisse, adeoque vindicem, multis adstruitur.* 346.

CA-

INDEX

CAPUT OCTAVUM. pag. 350.

De loco Psal. 60. 10 & 108. 10. Variæ interpretum sententiæ. 351. *Molleri & Junii expositio.* 352. *Calceo cædere, vel calceum in os projicere quam contumelioſum?* 353. *Ad id tamen non alluſit David.* 354. *Vatabli, Balduini & aliorum explicatio.* ibid. *Omnium error.* 356. *Balduini ex Tremellio expoſitio.* 358. *Calceum in aliquem jacere fidei ſervandæ ſignum apud Arabes.* ibid. *Hiſtoria inſignis.* ibid. *Chirothecam in urbem obſeſſam jacere ſignum pertinacis propoſiti de urbe capienda.* ibid. *Qui mos tamen tam antiquus non videtur, & huc non quadrat.* 360. *Buceri & Arnoldi Botii ſententia.* ibid. *Confutata.* 361. *Hugonis Grotii, Johannis Cocceji & aliorum explicatio.* 362. *Thomæ Gatakeri opinio.* 363. *Servorum miniſterium calceos portare.* 364. *Locus Matth. 3. 11. illuſtratus.* 365. *Gatakeri opinio probata.* ibid. *Calceos extergere viliſſimorum ſervorum miniſterium.* 366. *Unde pro ſordidiſſimis quibuſque officiis uſurpatur.* ibid. *Hoc ſcite intellexit David.* 367. CA-

CAPITUM.

CAPUT NONUM. pag. 367.

HEbrææ genti, cum in Arabiæ desertis hobambularet, de victu & vestitu prospexit Deus. 368. Deut. 8.4. & Neh. 9.21. בעק est intumescere. 369 Singulare Dei beneficium Deut. 29.5. qui non passus est vestes & calceos per quadraginta annos deficere. 372. Communis sententia calceos quibus ex Ægypto discesserant Judæi per tot annos integros servatos. 373. Ab ea dissensum. 374. An vestes cum pueris & infantibus creverint? 375. Futilis Judæorum sententia refellitur. 376. Deus non facit miracula sine necessitate. 378. Viri docti opinio probatur, qui hoc beneficium putat in admirabili Dei providentia, qua de calceis Hebræis prospexit, ut ubi veteres defecissent haberent novos. 379. Mosis verba in hanc sententiam exposita. 380 Locus Jes. 48.22. explicatus. 381. Varia divinæ providentiæ circa vestes & calceos documenta. 384.

CAPUT DECIMUM. pag. 387.

MIraculum singulare Dan. 3. 21. quo Deus in ardenti fornace vestes

ſtes trium virorum ſervavit illæſas. 388. *Multi interpretes nullam mentionem faciunt calceorum.* 389. *Alii calceos agnoſcunt, ſed ſunt in multiplici differentia circa vocem, quæ calceos notaret.* 390. *Omnium error.* 391. *Noſtra ſententia.* ibid. סרבלין *eſt veſtis exterior.* 392. *Ex Judæis multi exponunt vel togam vel pallium.* 393. סרבלין *ſunt* σαραβαρα 394. *Plurimorum error qui* σαραβαρα *femoralia vel tibialia volunt.* ibid. Σαραβαρα *veſtis fluxa & talaris, qualis ſtola matronarum.* 395. *Iſidori & Tertulliani loca.* 397. *Juſtini locus explicatur.* 399. *Ejus vulgata lectio adverſus Salmaſium defenſa.* ibid. *Perſæ braccas olim geſtarunt.* 402. סנדל *calceus.* 403. *Pro pedis tegumento in Medraſch Echa.* 404. כרבלה *tiara.* 405. *Inde Græcum* Κυρβασία. 406. כרבלה *ornamentum capitis inſtar Criſtæ galli.* 407. *Pariter* Κυρβασία *ibid.* לבוש *veſtimenta.* 408. *Operis concluſio.* 409. *Adverſus Balduinum digreſſio.* 410.

ANTONII BYNÆI de CALCEIS HEBRÆORUM LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Calceum, pedum tutelam, necessitas invenit. Balduini opinio, Adamum primum sutorem, imo ipsum Deum fuisse. Ejus tamen ratio, licet ingeniosa, id non persuadet. Calceis homines non diu caruerunt. Jam Abrahami ævo vulgaris eorum usus. Veteres non semper, uti nos hodie, calceati. Samuelis Bocharti laus. Ἀνυποδησίαν etiam inter Hebræos usitatam fuisse conjicit. Ab eo dissensum. Hebræi, non nisi ob religionem, aut certum ritum, nudipedes, alias calceati. Id

pluribus ostenditur. Loca Jes. 11.15. *&* 20. 2. 3. 4. *explicata. An Christus calceatus an discalceatus incesserit diversæ sententiæ. Christum ex more gentis calceatum fuisse evidenter probatur.*

I.

Hominem, cæteris omnibus sanctius animal, teneris atque mollibus plantis nasci videmus, cum alia bruta vel ungulis vel dura cute munierit natura. Multis magnisque incommodis homines premi hinc necesse est, si nudis plantis passim incedat. Nam à lapillis, undique jacentibus, atque aliis asperitatibus non solum ipsi est periculum, verum etiam à tribulis atque spinis, quas terra producere jussa est, post peccatum ab ipsis primis parentibus admissum, diris devota, justo irati Numinis judicio. Invenit hæc necessitas pedum tutelam, qua plantæ defendi possent à lapillorum atque

spinarum

spinarum injuria. Etenim, quod omni animantium generi est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueantur, id in humano genere præcipue cernitur, quod etiam de calceis sibi prospexit, ne tribulis atque spinis pedum plantæ lancinarentur. Battum in Theocriti pastoribus amicus monet:

Εἰς ὄρος ὄκχ' ἕρπεις, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο, Βάττε.
Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοί τε, καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.

In monte cum ambulas, ne discalceatus eas, Batte: in monte enim rubi atque aspalathi frondent. Scitum etiam apud Thalmudicos est proverbium: עד דכנדלא ברגלך דרוס כובא *dum calceus est in pede conculca spinas.* Ialkut in Leg. fol. 279. 1.

II. Hoc inventum cui debeatur; non adeo certum atque exploratum est; imo, si veterum monumenta consulimus, penitus incognitum. Benedictus Balduinus Ambianus, qui librum eruditum & elegantem scripsit de Calceo Antiquo, putat nihilominus lucem aliquam posse nos assequi, si conjecturam ducem sequi velimus, quæ Bald. de Calc. Ant. cap. 1.

licet in multis plerumque fallax, nos indubio pede ad Adami protoparentis noſtri tempora deducet. Conjicit videlicet, cum poſt admiſſum ab ipſo primo parente peccatum, juſtus peccati vindex Deus, in eum verba illa efficaci voce diſtringeret: *Maledicta terra ſpinas & tribulos germinabit tibi*: non videri paſſum Adamum teneras pedum plantas ſpinis & tribulis miſere lancinari, diffindi, diſcerpique nullo ſuppetente remedio: ſed eam mentem, quæ illi primum poſt vetiti fructus eſum conſuendorum è ficuum foliis perizomatum rationem ſuggeſſerat, quo pudendorum velaret turpitudinem, etiam illam artem edocuiſſe, qua ſibi uxoriquæ ſuæ calceos è cæſorum animalium pellibus, apte commodeque conſarcinaret: præſertim cum ipſe Deus exemplo præiret, qui *Fecit Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas & induit eos*, uti inquit in ſacra pagina Moſes: unde Adamus, hoc edoctus exemplo, eadem ratione pedum nuditati conſuluit. Quin Deum ipſum r[illegible]vult primum & proprium calc[illegible]m authorem agno-

Gen. 3. ℣s 18. & 19.

Gen. 3. ℣s. 21.

agnoscere, qui sicut Adamo atque uxori ejus tunicas pelliceas fecit, cum nuditati ipsorum voluerit esse consultum, ut non est parcus, aut imprudens, aut invidus, aut inops bonorum largitor, ita etiam censendus est illi calceos eadem ratione consuisse, quo in necessariis ad vitam comparandis, minaces spinarum tribulorumque aculeos tutius evitaret.

III. Hæc quidem ingeniose doctissimus Balduinus conjecit; non tamen solida videtur ipsius ratio. Adamum, ut nuditati consuleret, folia ficuum consuisse, ac deinde Deum tunicas pelliceas feciſſe non tantum ipsi, verum etiam ejus uxori, indubium plane est, quæ prima vestium origo fuit. Exinde vero concludi haudquaquam potest, eandem mentem Adamo dictasse calceos consarcinare, quæ ipsum docuit tegendæ nuditati folia consuere, quàque observavit Dei exemplum, qui tunicas fecit pelliceas: aut eadem ratione Deum Adamo calceos consuisse, ut evitaret spinarum tribulorumque aculeos, qua ipsi prospexit de tu-

nicis pelliceis, ne gravior aëris inclementia ipsi nocumento esset. Alia enim vestium, alia calceorum est ratio. Vestes erant quam maxime Adamo necessariæ, itemque uxori ipsius, non tam ut misera corpora, jam ob peccatum mille calamitatibus obnoxia, ab æstu atque frigore, & aliis tempestatum injuriis defenderentur; quæ ratio datur à doctissimo Balduino, quam quidem, ut nuditas, jam pudenda, tegeretur. Hæc necessitas in calceis non fuit. Sane videmus politiores populos non tantum habuisse atque etiamnum habere vestium usum, verum etiam nullam gentem tam feram, tamque barbaram unquam repertam esse, quæ non speciem aliquam vestimentorum habuerit. Id vero in calceis non observamus. Etenim non barbaros modo, atque ab omni cultu & humanitate alienos verum etiam ipsos cultiores, populos non dedecori putasse nudis pedibus incedere, licet sine vestibus prodire in publicum magno duxissent probro, mox ostendemus. Alterum enim prorsus apud omnes est inhonestum, alterum non item Illi ipsi,

qui

qui summum scelus putassent aliquem in publico nudum conspici: *Flagitii enim principium est, nudare inter cives corpora*, ut verè Cicero dixit, minime credebant turpe, si quis incederet pedibus nudis. Ut licet Adamus folia consuerit, atque ipsi Deus tunicas fecerit pelliceas, confici non possit, aut Adamum calceos consarcinasse, aut Deum ipsi de calceis prospexisse, cum longe diversa sit utriusque ratio, ac non tam necessitas, quam ipsa honestas hominem certis quibusdam vestimentis voluerit obtegi. Cic. Tusc. Quæst. lib. 4.

IV. Licet autem obscura non tantum, sed etiam incognita sit calceorum origo, priscos tamen mortales non diu caruisse quadam pedum tutela, certissimum videtur. Etenim necessitas, ut pedum plantas, molles illas atque teneras, defenderent, id facile effecit, ut aliquod invenirent calceorum genus. Sane antiquissimum fuisse calceamentorum usum, & jam vulgarem Abrahami ævo, ostendit ipsius ad regem Sodomæorum responsum, se ex omnibus, quæ ipsius erant, non accepturum, *à filo*

Gen. 14. ℣s 13.

usque ad corrigiam calceamenti. παροιμιώδης enim hæc loquendi ratio, qua pro re vili ac fere nihili *calceamenti corrigiam* usurpat, nata non fuisset, si non vulgaris ac diu cognitus fuisset calceorum usus. Quo quidem dicto nullum vetustius, de calceorum inter antiquos usu, monumentum reperitur.

V. Tam vetustus quamvis fuerit calceorum usus, plurimos tamen videre est olim nudipedes incessisse. Priscis enim temporibus, non semper veteres, uti nos hodie, calceati fuerunt, sed magnus fuit τῆς ἀνυποδησίας usus. Nudis pedibus incedebant non barbaræ modo gentes, verum etiam populi, qui nihil, nisi quod honestum & decorum esset, expetebant, ac inter ipsos clarissimi quique. Spartanorum juvenes ex lege Lycurgi nudis pedibus incessisse, ex Xenophonte atque Plutarcho constat. Quo facit Agesilai memorandum exemplum, quod memoriæ prodidit Ælianus, qui jam senex sine calceis in publicum prodibat, ut ex eo discerent juvenes illi legi parere. Apud Athenienses, qui essent paulo in ratione victus

Xenoph. de Polit. Laced. Plut. in vita Lyc. Ælianus Var. Hist. lib. 7. c. 13.

victus adstrictiores, non nisi tempore necessario, ad vitandum vel frigus, vel itinerum asperitates calceis utebantur. De Phocione, claro imperatore, & Lycurgo Rhetore id refert Plutarchus. Idem feciſſe Cynicos Philoſophos atque Pythagoreos, jam obſervarunt viri maximi Claudius Salmaſius & Octavius Ferrarius. Socratem eo nomine Ariſtophanes traduxit, itemque Amipſias apud Diogenem Laertiũ, qui dicit, quod τυτὶ τὸ κακὸν σκυτοτόμων κατ' ἐπήρειαν γεγένηται, *iſtud malum ſecum ferat ſutorum damnum.* Quod mirum magis, non tantum nudis pedibus Cretenſium pueri venatum iverunt, quomodo deſcribuntur apud Nicolaum Damaſcenum, quod idem venatoribus præcipit Oppianus, verum etiam ipſæ virgines, delicatiores plerumque & teneriores, aliquando nudipedes inceſſerunt, ut de Cyrenaïcis virginibus apud Callimachum, Antigone apud Zophoclem, itemque puella illa apud Oppianum, quæ veris tempore per montes oberrans flores quærebat, obſervat vir ſummus Samuel Bochartus. Apud Romanos non

Plut. in vita Phocion. & Lyc.

Salm. ad Tert. Pal. Ferrar. de Re Veſt.

Ariſtoph. Νεφ Act. 1. ſc. 1. Diog. Laert in vita Socr.

Nicol. Damaſc. de Mor. gent.

Oppian. Κυνηγετ lib. 1. vs. 102.

Bochart. Hieroſ. p. 1. lib. 2. cap. 50.

modo servi, qui quidem pro more *nec colobia, nec calceos habebant*, uti Servius docet, verum etiam ipsi Senatores initio nascentis Reipublicæ nudis pedibus iverunt, ut ex veteri Juvenalis Scholiaste discimus. Nota est Catonis ἀνυποδησία, quem sæpe discalceatum prodire consuevisse Plutarchus affirmat, itemque Horatius. Neronem idem factitasse Suetonius est auctor. Inter primos Christianos plurimos calceis usos non fuisse ex Luciano potest colligi. Neque desunt ex antiquis ecclesiæ doctoribus, qui putant viro maxime convenire ut sit discalceatus. Ita judicat Clemens Alexandrinus, cui præivit Musonius. Paria facere Tertullianum putat vir maximus Claudius Salmasius, in loco insigni quem de calceo habet. *Calceos nihil dicimus, proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, verum & falsam: quam enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quam in calceo vincipedem.* Scilicet *vincipidem* mavult legere Maximus Virorum, quam *uncipedem*, ut Tertullianus dicat, *nudipedem* esse præstare, quam *vincipedem*,

Servius ad Æn. 1.

Schol. Iuv. ad Sat. 1. ℣s 3.

Plut. In vita Cat.

Horat. lib. 1. Epist. 19.

Suet. in Vita Ner. cap. 51.

Lucian. in Philop.

Clem. Alex. Pædag. lib. 2. cap. 11.

Salm. ad Tertul. Pal. cap. 4.

dem, h.e. nudos, quam pedes vinctos habere. Hæc an vera sit emendatio τῦ πάνυ nos non inquirimus. Constat saltem scriptorem gravissimum, pariter uti Musonius & Clemens Alexandrinus judicarunt, putasse τῦ ὑποδεδέσθαι τὸ ἀνυποδετεῖν κρεῖττον εἶναι *nudis pedibus incedere melius esse quam calceari.* Unde & paulo post addit. *Aut pedes nudi magis, certe viriles magis quam in calceis.*

VI. Samuel Bochartus, qui in reconditis & à sensu atque intelligentia vulgi remotis literis, non Græcorum tantum & Latinorum, sed & Hebræorum ac vicinarum illis gentium primas facile tenet, ἀνυποδησίαν, quæ frequens fuit apud antiquos, pariter inter Hebræos usitatam fuisse conjicit. Inquirit Vir Summus, quorsum Israelitæ Pascha jubeantur calceati comedere. Hoc unum, quod respondeat, se dicit habere, Judæos non semper fuisse calceatos, & eorum plurimos in Ægypto fuisse excalceatos, idque eo minus esse παράδοξον, cum eorum ἀνυποδησίας, etiam in ipsa Judæa, rebus illorum maxime

Bochart. Hieros. p. 1. lib 2. cap. 50.

florentibus, vestigia superstint. Nam
2. Sam. 15. 30. & Davidem regno suo pulsum, montem olivarum discalceatum
Ies. 20. 2. ascendisse, & Jesaiam jussum ire nudum & discalceatum, itemque
Ezech. 24. 17. Ezechielem lugere vetasse Deum propter ademptam uxorem, & calceos deponere, ut fiebat in luctu. Berenicen etiam Agrippæ sororem nudipedem coram tribunali Florum esse deprecatam, cum in Judæos im-
Ioseph. de B. I. lib. 2. cap. 15. manem in modum sæviret, uti Josephus refert. Nec alio referenda hæc Juvenalis:

Iuvenalis Sat. 6. *Observant ubi festa mero pede Sabbata Reges.*

VII. Hæc licet sint præclara, sicuti & alia omnia, quæ Vir Summus in Hierozoico, opere mirando, observavit, cogimur tamen ab eo dissentire. Cur jusserit Deus ut in Ægypto Judæi calceati Pascha comederent, nos infra diligentius in-
Lib. 2. cap. 1. quirimus, & Viri Summi rationem revocamus ad examen. Judæos in Ægypto, fervida plaga, calceis carere facile potuisse, uti & hodie non pauci Afri magna anni parte nudis pedibus incedunt, hic non dis-

disputamus. Sed, an inter Judęos ἀνυποδησία usitata fuerit, qualem in Spartanis, Athenienſibus, Romanis obſervavimus, merito dubitamus. Quin potius contendimus iſtiuſmodi ἀνυποδησίαν nunquam in uſu inter Hebræos veteres fuiſſe. Sane nullum ἀνυποδησίας exemplum legimus, niſi fuerit plane ſingulare, & vel ob religionem vel certum alium caſum ſuſceptum. Omnia, quæ Vir Summus adduxit exempla, non niſi peculiarem ob rationem memorantur, ſatiſque oſtendunt extra tales caſus non inceſſiſſe nudis pedibus Hebræos. Oſtendimus lib. 2. inferius, vel ob publicam calamitatem, vel luctum funeris, olim Hebræos calceos depoſuiſſe, atque inceſſiſſe nudipedes, ac prolixè excutimus Davidis atque Ezechielis exempla. Ut omnino id fuerit alias inſolitum. Pariter Jeſaias, dum jubetur ire nudus & diſcalceatus, ut ſimilem Chuſæis atque Ægyptiis nuditatem & diſcalceationem in triennium portendat, ſatis oſtendit id non in uſu fuiſſe, magnamque fore iſtorum populorum calamitatem. Berenices exemplum non ad

cap. 5.

vulgatam Judæorum consuetudinem, sed certum religionis ritum pertinere, atque eo referendum Juvenalis versum, etiam inferius docemus.

Lib. 2. cap. 4.

VIII. Sane, si expressa Hebræorum monumenta consulimus, extra dubium erit, ipsos vulgari consuetudine jam ab antiquissimis temporibus incessisse calceatos. Moses cum rubum ardentem tentaret accedere, calceatus erat. Nam *stupendum illud ostentum propius intueri cupiens, audiit ilico vocem* Dei, qui præcipiebat, *ut calceamenta pedibus exueret.*

Exod. 3. 5.

Israelitas quoque, ex Ægypto virtute Numinis eductos, calceos in deserto Arabiæ gestasse, ex eo manifestum est quod prædicet Deus, se passum non esse, ut ipsis calcei per annos quadraginta deficerent. Pariter Josua calceatus fuit, cum exercitus Dei princeps ipsi appareret, prope mænia Jerichuntis. Idem enim ac Moses accepit mandatum de calceis exuendis, *quia locus, in quo stabat, sacer erat.* Quin omnes Hebræos olim calceis usos ex eo patet admodum luculenter, quod

Deut. 25. 10.

Ios. 5. 15.

&

& in contractibus morem habuerint calceum exuendi, & vidua, quam ducere recusabat defuncti frater, leviro calceum extraxerit, de quo utroque ritu inferius multa observamus. Etenim neuter horum rituum in usu apud Hebræos esse potuisset, si non communiter cum calceis incessissent. Jam quoque Deus inter alia ornamenta, quibus beneficia sua in Judæorum rempublicam collata adumbrat, calceos apud Ezechielem recenset. Etiam Hebræi, cum volunt exprimere fluvium transiri sicco pede posse, veluti proverbii loco utuntur, *cum calceis fluvium transiri posse.* Locus est ad hanc rem apud Jesaiam insignis. Verbis figuratis fore prædicat Propheta, ut omnia removeantur, quæ impedimento forent, ne Euangelii doctrina propagaretur, Deumque dicit, vel ipsum maris rubri sinum, & septem Nili ostia siccaturum, ita ut cum calceis transiri posset, h. e. ut non opus foret exuere calceos ne madefierent. Hæc est Prophetæ loquendi ratio, ut *pro sicco pede transire*, dicat *cum calceis transire* qua proverbiali loquendi

Lib. 2. cap. 6. & 7.

Ezech. 16. 10.

Ies. 11. 15.

quendi forma uti non potuisset, nisi in usu vulgari calcei fuissent. Habitum quoque fuit inter veteres Hebræos summarum calamitatum & paupertatis indicium, si nullo calceos quis haberet. Hinc gravissima est apud Jesaiam commination, cum Deus eum jubet ire discalceatum, ut similem discalceationem Ægyptiis atque Cuschæis portenderet: *Ito*, inquit, *& solve*
Ies. 20: 2. 3. 4. *saccum à lumbis tuis, & calceum tuum exue à pede tuo. Et fecit ita, ambulavitque nudus & discalceatus. Et dixit Jehovah: quemadmodum ambulavit servus meus Jesaias nudus & discalceatus tribus annis, signum & portentum super Ægypto & Cuschæis. Sic ducet rex Assyriæ captivos Ægypti, & exules Cuschæorum, pueros & senes, nudos & discalceatos.* Quod Deus in mandatis dat Prophetæ, ut incederet nudus & discalceatus, plane fuit singulare, neque alias usitatum. Unde & signum foret calamitatũ, quæ Ægyptiis, atque Cuschæis imminerent, cum captivi abducerentur. Quod etiam docet ipsos Ægyptios atque Cuschæos, pariter, uti consueverant Judæi,

Judæi, calceis usos. Solebant veteres omnibus vestibus captivos spoliare. Exemplum exstat in Annalibus insigne. *Viri autem, quorum nomina sunt expressa, acceperunt captivos, atque ex præda vestiverunt omnes nudos, & calcearunt.* Qui & ipse locus vulgarem inter Hebræos calceorum usum ostendit. Id imminere Ægyptiis atque Cuschæis per prophetam denuntiat Deus, in cujus rei signum discalceatis pedibus incedit: quod alias insolitum fuit. Atque hinc etiam est, quod pater istius filii deperditi, qui nudus & omnium egenus domum revertebatur, inter alias vestes etiam calceos ipsi jusserit afferri. *Et dixit pater servis suis: Adferte stolam eximiam & induite ipsum, & date annulum manui ejus* καὶ ὑποδήματα εἰς τοὺς πόδας, *& calceamenta pedibus ejus.* Hæc quidem ὑποδήματα invictè ostendunt inter Hebræos veteres, non in usu fuisse ἀνυποδησίαν, qualis inter Græcos atque Romanos observatur, cum omnes calceos gestare sint soliti, atque ea exempla, quæ Vir summus Samuel Bochartus ad hanc rem collegit, id

2. Chron. 28. 15

Luc. 15. 22.

id non evincere, cum ad religionem aut certum aliquem ritum referenda sint. Etenim causæ semper fuerunt singulares cur ἀνυπόδητοι incesserint Hebræi, qui vel in loco sacro erant nudipedes; vel diebus jejunii & expiationis, vel in publicis calamitatibus, vel ob luctum mortui, de quibus omnibus infra prolixè disputamus.

Lib. 2. cap. 2. 3. 4. 5.

IX. Quæ disseruimus hactenus solvunt agitatam multum quæstionem, utrum Christus in his terris calceatus an discalceatus incesserit? Quæ curiositas, licet in re minima dissensum tamen peperit inter Ecclesiæ doctores, atq; ita quidem, ut in partes sit itum. Jam olim Hieronymus discalceatum incessisse Christum contendit, eo usus argumento quod calceamenta prohibuerit suis Apostolis. *Moses*, inquit, *& Jesu Nave nudis in terram sanctam pedibus jubentur incedere & discipuli sine calceamentorum onere & vinculis pellium ad prædicationem novi Euangelii destinantur. Et milites vestimentis Jesu sorte divisis caligas non habebant quas tollerent. Nec enim poterat habere dominus*

Hier. in Epist. ad Eustochium de Custod. Virgin.

quod

quod prohibuerat servis h. e. Apostolis. In eadem cum Hieronymo sententia sunt Dionysius Carthusianus, Bonaventura, Nicolaus de Lyra, & Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus. Contra calceatum in his terris incessisse Christum, ex Johannis Baptistæ dicto, qui se dignum negat ut ejus calceos portet, vel solvat corrigiam, collegerunt Patres doctissimi Joannes Chrysosthomus & Augustinus, quos ex recentioribus Paulus Burgensis, Thomas Cajetanus, Toletus, Barradius, & complures alii Romanæ Ecclesiæ Doctores sequuntur. Eandem quæstionem etiam prolixe tractavit doctissimus Balduinus, atque ita quidem ut calceatum incessisse Christum velit.

Chrys. ad Pop. Antioch. Hom. 6. Aug. Serm. 42. de Sanct. cap. 6. Bald. de Cal. antiq. cap. 26.

X. Hæc quidem curiosa quæstio, neque magni momenti, facile deciditur ex Hebræorũ prisca consuetudine, qui nudis pedibus non incesserunt. Etenim ἀνυποδησία in vulgari usu inter ipsos non fuit. Ut in errore versentur, qui Christum negant calceatum. Nam à more, & quidem vetusto, atq; inter omnes vul-

vulgari discessisse Christum, quæ ratio persuadebit, cum in vestitu singulare quiddam Dominum observasse nusquam legamus. Quis credet hoc in calceis Christum feciſſe, quod à more gentis fuit maxime alienum, ut incederet discalceatus? Neque Apostolis calceorum usum Christus interdixit. Sane *Sandalia* à Christo concessa, Marc. 6. 9. Marcus docet. Atque ea Petrum etiam gestasse ex verbis Angeli discimus, qui è carcere, quo detinebatur, eum eductus, jubet Act. 12. 3. ὑπόδησαι τὰ σάνδαλά σου *induere sandalia.*

Caput Secundum.

Calcei olim ex varia materia confecti. Hebræorum calceos ex pellibus videri. Multarum gentium vestimenta pellicea. Calcei ex pellibus & corio crudo primum. Apud omnes gentes usus corii in calceis. Apud Græcos Phæcasia, τροχάδες, ἀγυιάδες. *Apud Romanos perones, cal-*

cei

cei senatorii, caligæ, Imperatorum zanchæ ex pellibus. Apud Hebræos vestes pelliceæ in frequenti usu. Pariter & calcei ex corio videntur. Locus Jos. 9. 5. expositus. LXX. Interpretum Versio & Vulgata explicatur. Pittacium quid? A Casaubono leviter dissensum. Veterum Hebræorum calcei vili pretio constiterunt. Loca Amos 2. 6. & 8. 6. illustrantur. Martini Gejeri error. Σίμων βύρσευς *Act. 9. 43. Coriarii urbium ambitu exclusi. Loco Act. 10. 5. lux facta.*

I.

CUm Hebræos veteres calceos gestasse satis superque sit à nobis demonstratum, inquirendum imprimis est qua materia constiterint. Apud varias gentes calceorum materia semper varia fuit, cum quælibet res quam maxime obvia & paratu facilis in calceorum usum cesserit. In Ægypto, ubi

ubi papyri copia est frequentior, ex papyro calceamenti genus familiare fuit. E sparto Hispanis calceos gestare in more fuit positum. Linteis calceamentis Imperator Antoninus cognomento Philosophus, & permulti alii ejus exemplo sunt usi. Indorum calcei lignei fuerunt. De quibus omnibus egit prolixe doctissimus Balduinus. Sed è qua materia confecti fuerint Hebræorum calcei non adeo liquet. Si tamen datur conjecturæ locus, eos ex pellibus aut corio fuisse diceremus, quale genus non vestium tantum sed etiam calceorum, & antiquissimum & à multis populis usitatum fuit.

Bald. de Calc. Ant. cap. 3. 4. 5. 6.

II. A vetustissimis temporibus vestes ex pellibus in usu fuisse, nemo, nisi hospes in literis, ignorare potest. Prisci Heroes, apri, aut tigridis, aut leonis exuviis, aut pelle Lybystidos ursæ, aut hinnulli, aut vulpis induebantur. Quod quidem tritum est & à pluribus animadversum. Pellibus tectæ non solum fuerunt gentes barbaræ Hunni, Hungari, Getæ, Germani veteres, Indi, Parthi, (quo-

(quorum regis ſtatuam gauſapatam & pellitam, olim à Cavallerio editam, exhibet vir magni ingenii & doctrinæ Octavius Ferrarius) Schytæ (quomodo & hodie Tartaris atque Muſcovitis nihil eſt frequentius) uti jam dudum docuerunt homines eruditi, verum etiam Græci atque Romani. Media in Græcia ruſticos ſenes Ariſtophanes inducit διφθερίαις veſtitos, quod quidem genus veſtimenti ex caprarum pellibus confecti fuit, uti præclarè obſervavit magnus Doctor meus Johannes Georgius Grævius, cui præcipue debetur, quod literarum nomen, in fœderata Belgica, non extinguatur. Ipſa Romanorum curia, quæ poſtea nituit prætexto Senatu, olim

Ferrar. de Re veſt. P. 2. lib. 1. cap. 8.

Ariſtoph. in Νεφ. Act. 1. ſ. 1.

Grævii. Lect. Heſiod. pag. 69.

Pellitos habuit, ruſtica corda, patres. Prop. lib. 4. Eleg. 1.

Nempe *Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum,* Lucret. lib. 5.

apud plurimas gentes olim obtinuit, non tam ex eo quod hominibus obvium maxime videatur ferarum & pecudum pelle veſtiri; quam quidem, quod pellium in veſti-

vestimentis usum Deus docuerit,
Gen. 3. 21. qui primus *Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas fecit, & induit eos.*

III. Uti vestimenta priscorum mortalium pellicea fuerunt, ita & calcei ex pellibus fiebant. At antiquissimis temporibus pelles ut plurimum consuendis calceis materiam præbuerunt. Et quidem vetustissimis hominibus is usus videtur, ut quandam pellis particulam sive crudum corium pedibus subligarent, quod vicem calcei præstabat. Sic capio verba Xenophontis, quæ Latinè reddidit vir politissimus Angelus Politianus:

Polit. Miscellan. cap. 2. *Cum defecissent veteres calcei, habebant ex recentibus coriis bubulis carbatinas confectas.* Deinde, ut in dies passim crescunt artes, ita & mollire ferarum pelles, & soleas concinniores, deinde calceos conficere, hominum industria invenit. Sed apud omnes ferè populos pelles & corium vulgatissima calceorum materia fuit, uti & nostro tempore id ipsum obtinet. Non enim barbari illi tantum, qui plerumque pellibus induebantur, pedes eodem tegumento munierunt,

quo-

(quorum regis ſtatuam gauſapatam & pellitam, olim à Cavallerio editam, exhibet vir magni ingenii & doctrinæ Octavius Ferrarius) Schytæ (quomodo & hodie Tartaris atque Muſcovitis nihil eſt frequentius) uti jam dudum docuerunt homines eruditi, verum etiam Græci atque Romani. Media in Græcia ruſticos ſenes Ariſtophanes inducit διφθερίαις veſtitos, quod quidem genus veſtimenti ex caprarum pellibus confecti fuit, uti præclarè obſervavit magnus Doctor meus Johannes Georgius Grævius, cui præcipue debetur, quod literarum nomen, in fœderata Belgica, non extinguatur. Ipſa Romanorum curia, quæ poſtea nituit prætexto Senatu, olim

Ferrar. de Re veſt. P. 2. lib. 1. cap. 8.

Ariſtoph. in Νεφ. Act. 1. ſ. 1.

Grævii. Lect. Heſiod. pag. 69.

Pellitos habuit, ruſtica corda, patres. Prop. lib. 4. Eleg. 1.

Nempe *Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum,* Lucret. lib. 5.

apud plurimas gentes olim obtinuit, non tam ex eo quod hominibus obvium maxime videatur ferarum & pecudum pelle veſtiri; quam quidem, quod pellium in veſti-

vestimentis usum Deus docuerit,
Gen. 3. 21. qui primus *Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas fecit, & induit eos.*

III. Uti vestimenta priscorum mortalium pellicea fuerunt, ita & calcei ex pellibus fiebant. At antiquissimis temporibus pelles ut plurimum consuendis calceis materiam præbuerunt. Et quidem vetustissimis hominibus is usus videtur, ut quandam pellis particulam sive crudum corium pedibus subligarent, quod vicem calcei præstabat. Sic capio verba Xenophontis, quæ Latinè reddidit vir politissimus Angelus Politianus:

Polit. Miscellan. cap. 2. *Cum defecissent veteres calcei, habebant ex recentibus coriis bubulis carbatinas confectas.* Deinde, ut in dies passim crescunt artes, ita & mollire ferarum pelles, & soleas concinniores, deinde calceos conficere, hominum industria invenit. Sed apud omnes ferè populos pelles & corium vulgatissima calceorum materia fuit, uti & nostro tempore id ipsum obtinet. Non enim barbari illi tantum, qui plerumque pellibus induebantur, pedes eodem tegumento munierunt,

quo-

quomodo Gethas ex equino corio perones gestasse illud Sidonii Apollinaris docet

Peronem pauper nodus suspendit equinum: Sidon. Apollin. carm. 7.

verum etiam Græci atque Romani.

IV. Apud Græcos ex corio quondam calceos fuisse docere possunt *Phæcasia*, Philosophorum gestamen. Etenim *phæcasia* ex corio fuisse colligere licet ex his Senecæ verbis: *Pythagoricus quidam emerat à sutore phæcasia.* Mentio sutoris, à quo phæcasia Pythagoricus emerat, ostendere videtur coriacea fuisse. Sed clare id docet Erathostenes: Sen. de Benef. lib. 7. cap. 21.

πέλμα ποτε ἐπλέκετο λαφῷ φαικασίοιο. Erathost. in Merc.

Pellem olim suebat tenuis phæcasii: πέλμα enim apud Græcos & de corio dicitur. Quæ quidem pulchre observata sunt doctissimo Balduino. Fuerunt præterea τροχάδες, calcei qui currentibus aut cursoribus conveniebant. Atque hi ex pelle fuerunt caprina. Hesychius: Bald. de Calc. Ant. cap. 14.

vestimentis usum Deus docuerit,
Gen. 3. 21. qui primus *Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas fecit, & induit eos.*

III. Uti vestimenta priscorum mortalium pellicea fuerunt, ita & calcei ex pellibus fiebant. At antiquissimis temporibus pelles ut plurimum consuendis calceis materiam præbuerunt. Et quidem vetustissimis hominibus is usus videtur, ut quandam pellis particulam sive crudum corium pedibus subligarent, quod vicem calcei præstabat. Sic capio verba Xenophontis, quæ Latinè reddidit vir politissimus Angelus Politianus:

Polit. Miscellan. cap. 2. *Cum defecissent veteres calcei, habebant ex recentibus coriis bubulis carbatinas confectas.* Deinde, ut in dies passim crescunt artes, ita & mollire ferarum pelles, & soleas concinniores, deinde calceos conficere, hominum industria invenit. Sed apud omnes ferè populos pelles & corium vulgatissima calceorum materia fuit, uti & nostro tempore id ipsum obtinet. Non enim barbari illi tantum, qui plerumque pellibus induebantur, pedes eodem tegumento munierunt,

quo-

quomodo Gethas ex equino corio perones gestasse illud Sidonii Apollinaris docet

Peronem pauper nodus suspendit equinum: Sidon. Apollin. carm. 7.

verum etiam Græci atque Romani.

IV. Apud Græcos ex corio quondam calceos fuisse docere possunt *Phæcasia*, Philosophorum gestamen. Etenim *phæcasia* ex corio fuisse colligere licet ex his Senecæ verbis: *Pythagoricus quidam emerat à sutore phæcasia.* Mentio sutoris, à quo phæcasia Pythagoricus emerat, ostendere videtur coriacea fuisse. Sed clare id docet Erathostenes: Sen. de Benef. lib. 7. cap. 21.

πέλμα ποτε ἐπλέκετο λαφῷ φαικασίοιο. Erathost. in Merc.

Pellem olim suebat tenuis phæcasii: πέλμα enim apud Græcos & de corio dicitur. Quæ quidem pulchre observata sunt doctissimo Balduino. Fuerunt præterea τροχάδες, calcei qui currentibus aut cursoribus conveniebant. Atque hi ex pelle fuerunt caprina. Hesychius: Bald. de Calc. Ant. cap. 14.

προχάδες, σανδάλια ἀπὸ τῶν αἰγείων δέ μάτων. Habuerunt & Ἀρναχίδες, calceos ex pellibus agninis, (ἀρνακὶς enim est agnina pellis cum ipsa lana) quibus hyeme utebantur. Pollux lib. 7. cap. 33. quorum meminit Pollux, ut Grævii Lect Hes. pag. 68. eruditissime animadvertit, ac Pollucis locum à menda liberavit Johannes Georgius Grævius ὁ πάνυ.

V. Apud Romanos omnia calceorum genera ex corio fuerunt. *Perones*, aratorum & venatorum proprios, calceos cavos ἀμβύγινος ex crudo corio, h. e. minime subacto & concinnato, fuisse, unde *crudus pero* Virgilio dicitur, Virg. l. 7. Æn v. 689 *setosus* Sidonio, eruditi Romanorum antiquitatum interpretes Sidon. l. 4. Epist. 40. nuerunt. Ex *aluta* corio mollior Senatorum calceos fuisse iidem docuerunt, quos *lunatam pellem* Martialis dixit, Mart. lib. 2. Epigr. 49. *& nigras pelles* Horatius, Horat. lib. 1. sat. 6.

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Scilicet pro calceo, qui apud Romanos ex corio fuit, *pellem* usu

pa

pant nobiles Poëtæ quomodo & Ovidius *pellem* pro *calceo* dixit.

Nec vagus in laxa pes tibi pelle naset.

Unde & *Tentipellium* vox est apud Festum, inde nata, quod Romani strictim calcearentur. *Caligam* maximus virorum Claudius Salmasius ex Græco χάλχη, id est *pellis*, deducit, unde *calga*, quam vocem more suo *caligam* veteres dixerunt. Elegans est ad hanc rem Cœlii Symposii Poëtæ veteris Ænigma, quod de Caliga inscribitur.

Salm. ad Tebellii Pollionis Gallienum.

Major eram longè quondam, dum vita manebat,
Sed mox exanimis, lacerata, ligata, revulsa,
Dedita sum terræ, tumulo sed condita non sum.

Cœlii Symp. Ænigma 56.

Scilicet corium in vivo tauro aut bove majus est quam in caliga. At dum taurus sive bos vita privatur, pellis laceratur, ligatur, revellitur, ut ex eo fiat caliga. Corium vero, ex quo facta est caliga, terræ datur, eamque premit in humano pede: neque tumulo conditur,

ditur, sed usu consumitur. Idem vir maximus in Tertulliani loco, qui vulgo legitur *Sutrinæ Veneris prospexere perones effœminatos*, pro *sutrinis Venereis* emendat *sutrinas Venetias*, h. e. Venetas pelles, ex quibus calcei conficerentur, quod ibi optimæ notæ pelles consuerentur. Ipsæ imperatorum *Zanchæ* ex pellibus Parthicis fuerunt seculis posterioribus. Corippus in docet in descriptione calceorum Justini imperatoris:

Salm. ad Tertull. pal. cap. 5.

Corippus lib. 2. cap. 3.

Parthica Campano dederant quæ tergora fuco.

Parthica tergora Corippus vocat corium molle ex Parthicis pellibus, quæ molliſſimæ erant, & adhibebantur ad calceos imperatorum, quarum pellium Parthicarum multa apud veteres mentio. *Zanchas Parthicas* imperatorum calceos hinc vocat Trebellius, h. e. de corio Parthico factas, ad quem locum videri possunt quæ maximus Salmasius notavit. De calceis ex hædina pelle elegans exstat Martialis jocus:

Trebel. in Gallieno.

Mart. lib. 12. Epigr. 45.

Hædina

Hædina tibi pelle contegenti,
Nudæ tempora verticemque calvæ,
Festive tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

Sed quod mireris, calceorum ex Hyænæ pelle meminit Oppianus, quibus tantam adscribit virtutem, *ut si quis calceatus hyænæ pelle incessserit, adeo canibus sit metuendus, ut ipsi obmutescant nec audeant allatrare.* Oppian. cyneg. lib. 3. Multa quidem veteres prodiderunt de Hyænæ in canes odio, & quod isti animalium generi sit infestissima, quæ vir summus Samuel Bochartus observavit, an vero ea sit virtus pellis Hyænæ, merito dubitamus. Et tamen simile quid refert Plinius, qui asserit eos, *qui hyænæ linguam in calceamento sub pede habeant, non latrari à canibus.* Bochart. Hieros. p. 1. pag. 832.

VI. Uti apud veteres magnus fuit pellium in consuendis calceis usus, ita & Hebræos ex pellibus sive corio gestasse calceos putamus. Fuerunt in ea gente vestes pelliceæ in frequenti usu. Patriarchæ plerique pellibus tecti incesserunt. Ambularunt enim ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν *in ovillis & caprinis*

Hebr. 11. 37. *pellibus*, ut docet auctor Epistolæ ad Hebræos. Qui quidem habitus fere ordinarius Prophetarum fuit, quorum villosa vestimenta memo-
2. Reg. 1. 8. rantur, ut de Elia est notissimum. Sed hac de re plura jam alii observarunt, & nos in majori opere, quod de Re Vestiaria Hebræorum est, si Deus voluerit, prolixius disseremus. Quis dubitabit, cum inter Hebræos pelliceārum vestium frequens fuerit usus, etiam ex corio sive pellibus eos calceos gestasse, cum nihil magis fuerit obvium, atque ad usum calceorum aptius, quomodo & hodie vulgatissima materia, qua calceantur pedes, corium habetur. Ita credidisse videtur Hieronymus, qui Christum discipulis *vincula pellium* interdixisse dicit: *Discipuli*, inquit, *sine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem novi Euangelii destinantur.* Juvat conjecturam, quod alibi mentio fiat Σίμωνος βύρσεως (nam βύρσευς est *coriarius*, ut glossæ habent, quomodo ברסיא pro *coriario* adhuc usurpant Thalmudici, qui coria tractat conficiendis calceis) sed maxime quod

Hieron. in Epist. ad Eustochium de custod. Virgin.

Act. 9. 43. & 10. 5.

Gibe-

Gibeonitarum calcei מטלאות vocantur in Josuæ libro. Vox Hebræa proprie notat quod ex frustis variis est consutum. Nam טלא proprie est consuere ex multis pannis & coloribus, quomodo centonem solent. Hinc apud Ezechielem memorantur במות טלואות *excelsa multicoloria*, h. e. variis pannis & multorum colorum instrata, quæ Aquila & Theodotion ἐμβολίσμασι transtulerunt, quod significat diversos pannos hinc inde consutos, quasi πολύῤῥαφον vestimentum. Inde sumpta metaphora oves aut capræ טלואות dicuntur, quæ maculas habent adspersas aut tanquam assutas, ut in centone particulas & assumenta, uti nos docet vir summus Samuel Bochartus. Hac ratione Gibeonitarum calcei dicuntur טלואות, quasi diversis colorum frustis suppacti. At qualia frusta hic intelligemus? De panni frustis ea vox sumitur. Atque ita Targum pro טלואות habet מרקינן. Est autem מרקע *frustum panni*, uti videre est in magno opere doctissimi Buxtorfii, unde forte græcum ῥάκος quod conjecit vir Hebraicè peri-

Ios. 9. 5.

Ezech. 16. 16.

Bochart. Hieros. §. 1. pag. 478.

Buxt. Lex. Talm. R. מרקע.

Drusius ad Ios. 9. 5.

tissimus Johannes Drusius. At panni frusta fuisse, quibus suppactæ erant Gibeonitarum soleæ, haud facile crediderim. Ut plane de corio intelligendum sit. Et quidem vocem, qua Hebræi utuntur, tam pro corii quam panni frusto sumi, mihi minime est dubium. מטלית etiamnum Talmudici de præcinctorio sive ventrali opificũ usurpant. מלית של טרסיים *præcinctorium fabrorum* in Tractatu Cholin

Cholin fol. 57. 2.

legitur. At hęc ex corio fieri consueviſse quis nescit? Inde sane vulgato inter nos Belgas vocabulo *een schoots vel* vocamus, quasi *gremii pellem* dicas. Quin & Thalmudici id ipsum ברכיר vocant, de qua voce hæc doctissimus Buxtorfius: ברכיר *Quod scribitur* גורכיר

Buxt. Lex. Thalm. R. ברך.

corium, ventrale opificum, sive gremio sive genibus serviens, Kelim cap. 26. Intellexisse id videntur LXX. interpretes, qui hic optime reddiderunt σανδάλια παλαιὰ, καὶ ῥάκη κατεπεπλασμένα. Quod verbum ἀπὸ τῆς πέλματος deductum est. Et quidem πέλμα apud Græcos *plantam pedis* notat, atque pro *solea*, quibus plantarum calces tantum in-

infimæ teguntur, sæpe sumitur. Sed quia soleæ ex corio fieri seculis omnibus consuevere, quo facit hic Isidori locus: *Soleæ materiales ex materia corio intexta*, ideo & pro *corio* Græci πέλμα usurpant. Ut σανδάλια κατατετπελματωμένα sint *calcei diversis solearum sive corii frustis suppacti*. Paria habet Hieronymus, sive quisquis auctor est versionis Vulgatæ, qui reddit *Calceamenta perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant*. Vir undiquaque eruditissimus & acris judicii Andræas Masius, qui luculento commentario Josuam illustravit, *Nomen* מטלא *significare* dicit, *id quod ex aliis atque aliis frustis, sive ut vocant, pittaciis consutum compactumque est: Nam*, inquit, *apud doctores Hebræos* טלאי *pro* pittacio *usurpatum me legere memini*. Ita sane est. Locus insignis est apud Davidem Kimchium, quem mox adducam. *Pittacium* autem apud Latinos pro brevi epistola sumitur, ut Isidorus exponit. Pro *Albo* Lampridius usurpat: *De promovendis*, inquit, *etiam sibi annotabat, & perlegebat cuncta pittacia*. Notavit ad

Isid. lib. 4. 19. cap. 3

Masius ad Ios. 9. 5.

Lamprid. in Servio & ibi. Casaub.

eum locum magnus Casaubonus: *Pittacia dicuntur pice vel maltha illitæ breves tabulæ, in quibus elogia scribebantur, & id genus alia, quæ paucis verbis possunt comprehendi. Ut illa Polybiana pittacia de quibus aliquid ad Suetonium notare meminimus.* Ego vero pittacia etiam scedulas fuisse puto è membrana excisas, in quibus gnomas & breves sententias scribebant. Sane Polybii pittacium, quod ad Suetonii Augustum notavit vir magnus, in quo quædam gnomę erant descriptæ, nihil aliud mihi fuisse videtur quam parva membranæ scedulæ quam ad Demetrium misit. Atque idem Augustus in illo Suetonii loco mihi factitasse videtur. *In evolvendis*, inquit, *utriusque linguæ auctoribus, nihil æquè spectabat quam præcepta & exempla publice vel privatim salubria: eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent.* Scilicet Augustus excerptas veterum sententias parvæ membranæ scedulæ inscri-

Casaub. ad Suet. Aug. cap. 89.

bebat

bebat, & nihil amplius, easque perferri ad eos curabat, quos increpiturus erat. Atque ita pittacium sumerem in illo Petronii, quod vir magnus adducit. *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ: quorum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo Falernum, Opimianum annorum centum.* Sane nihil aliud ibi pittacia videntur quam scedulæ de membrana excisæ, affixæ ampullis, quibus inscripta fuit ætas vini. Ita cum pittacium membranæ parvam scedulam notet, etiam pro frusto corii sumptum est. Pittacium sic apud Celsum, non pro panniculo, Celsus ut quidam habent, sed corio medicamento illito, quod capiti vel præcordiis applicatur, ponitur, quod etiam hodie inter medicos est tritum. Hac significatione *pittacium* R. David Kimchi sumpsit, Kimchi in lib. Rad. cujus verba Latine reddita, hic apponi merentur. מטלאות inquit, *sunt calceamenta coagmentata ex frustis coriaceis in loco vestustatis eorum, h. e. ubi detrita sunt, & sic dixerunt doctores nostri de frusto corii cum pittacio super pittacium, ubi*

pittacium vocant טלא. Scilicet Hebræi habent vocem פתקא, quę *librum*, *libellum*, *epistolam*, *scedam*, *diploma*, notat, uti videre est apud virum in Hebræorum literis maximum Johannem Buxtorfium, atque insuper pro *pittacio*, *quod medicinæ causa de collo suspenditur*, ponitur, ut idem monet. Quod pittacium nihil aliud puto, quam scedam, vel membranam, certa scriptura, litteris vel characteribus notatam, quę valetudinis causa collo vel pectori appenditur, quam alias קמיע vocant Talmudici, à parvitate scilicet, ut Elias putat, quia membrana ista parva & tenuis est, & scripturam paucam, & abbreviaturis notatam continet, de quali pittacio Rabbinorum doctissimus Maimonides: איזהו קמיע מכשר זה שרפא לשלשה בני אדם *Quodnam est pittacium probatum? Id, quod sanavit tres homines.* At id etiam pro frusto corii sumpserunt, ut David Kimchi notavit, de *frusto corii dixisse magistros, cum pittacio super pittacium.* Patet ergo quo significatu vulgatæ versionis auctor *pittacium* sumpserit, pro

Buxt. Lex. Talm. R. פתק

Maim. in de Sab. cap. 19.

parva

parva parte vel frusto corii. Optimè sane. Calcei Gibeonitarum ad indicium vetustatis diversis corii frustis suppacti erant. Ut jam antiquissimis illis temporibus solearum ex corio usus appareat.

VII. Hinc videre est, cum ex pellibus sive corio fuerint calcei veterũ Hebræorum, quod vili pretio constiterint. Philosophorum *Phæcasia*, quæ ex corio fuisse docuimus superius, quatuor denariis olim empta fuerunt. Locus elegans est ad hanc rem apud Senecam: *Pythagoricus*, inquit, *quidam emerat à sutore phæcasia, rem magnam, non præsentibus nummis. Post aliquot dies venit ad tabernam redditurus, & cum clausam diu pulsaret, fuit qui diceret: quid perdis operam tuam? sutor ille, quem quæris, elatus, combustus est. At Pythagoricus noster quatuor denarios non invita manu domum retulit. Deinde, cum reprehendisset hanc suam non reddendi tacitam voluntatem, intelligens arrisisse sibi illud lucellum, redit ad eandem tabernam, & per clostrum, qua se commissura laxaverat, quatuor denarios in tabernam inseruit.* Discimus ex hoc loco quam

Sen. de Benef. lib. 7. cap. 21.

vili pretio constiterint phæcasia, utpote quatuor empta denariis, quamobrem & Seneca illa ironicè *rem magnam* vocat. Non pluris constitisse Hebræorum calcei videntur, imo vix ullum vestimentum viliori pretio fuisse. Apud Amosum conAmos 2,6. queritur Deus, *quod egenum vendiderint pari calceorum.* Inter alia quæ recensentur istorum hominum peccata, perstringuntur Judices illius ævi, qui pecuniæ gratia injustè judicabant, imo vel egenum vendebant *pari calceorum.* Idem vitium in aliis notatur, *qui*
Amos 8,6. *egenum emebant pari calceorum.* Scilicet egenos, quasi homines vilissimos & nullius pretii, vel vendebant Judices, vel emebant alii *pari calceorum*, h. e. re minimi pretii. *Par calceorum* apud Prophetam veluti proverbialis est loquendi ratio, pro re vili & nullius ferè momenti, quomodo & alibi usurpat *frustum panis.* Simile quid apud Syrachidem legitur de Samuele:
Eccles. 46. 22. χρήματα, καὶ ἕως ὑποδημάτων ἀπὸ πάσης σαρκὸς οὐκ ἔλαβεν. *Pecuniam & usque ad calceos ab ullo homine non accepit.* Sensus est apud Samuelem:

nihil

nihil quidquam à quoquam abstuliſti. 1. Sam. 12. 4. Hoc cum planum ſit atque perſpicuum non alium ſenſum eſſe iſtius dicti; tamen contrarium conjectat vir magni nominis Martinus Gejerus. Poſtquam notaſſet, calceos taxi vel Janthinos ex corio molli tenero ac eleganti in uſum virginum matronarumque delicatarum olim paratos, uti cenſet Oſiander, quomodo & ſandalia Judith rapuiſſe dicuntur oculos Holofernis: *Forte*, inquit, *etiam pro precioſis ejuſmodi calceis vendiderunt pauperem Amos 2. 6. 8: 6. qua ratione hactenus agri alicujus proventus in ocrearum par à nobilibus impendi quandoque audivimus.* Sed in ea conjectura erravit plane Gejerus. An calcei taxi ex corio molli in uſu fuerint Hebræis non liquet. Quod ſi vel maxime tales in pretio in ea gente fuiſſent, uti veriſimile eſt luxum inter Hebræos quoque in calceis fuiſſe, huc neutiquam facerent. Etenim totius orationis ſeries oſtendit, non de pretioſis calceamentis loqui Prophetam, ſed pro re vili & minimi pretii *par calceorum* uſurpare.

Gejer. de Luct. Hebr. pag. 293.

Iudith 16. 11.

VIII.

VIII. Σίμωνος βύρσεως superius facta est à nobis mentio, cum conjiceremus apud Hebræos calceos ex corio fuisse. Huic conjecturæ vero nos non multum fidere etiam satis indicavimus. Etenim licet βύρσευς sit *coriarius*, qui coria tractat calceis conficiendis, non tamen in his solis eorum opera occupatur, cum confectarum pellium varius sit usus. Quamvis etiam non ineptum sit, si dicamus in coriis, è quibus calcei fiunt, industriam Simonis versatam. Illud hic inquirere juvat, cur de Simone dica-

Act. 10, 5. tur, ᾧ ἐστιν οἰκία παρὰ θάλασσαν *cujus est domus juxta mare.* Omnes, quos ad hunc locum videre mihi contigit, Novi Fœderis interpretes, securè hæc verba transiliunt. Ipse vir illustris Hugo Grotius, qui reliquis omnibus in hoc genere studiorum facile palmam præripit, utpote quo nemo ex gentium ritibus plura notavit ad penitiorem sacrorum voluminum intellectum, nihil monet. Putarunt videlicet homines eruditi, nihil notatu dignum hic dici posse. Et tamen non sine ratione est, quod Simo-

Simonis domus *juxta mare* fuit. Animadvertit vir doctissimus Benedictus Balduinus, coriarios, quod morticinia tractarent, ab urbibus fuisse submotos, adeoque domum Simonis coriarii urbis ambitu excluſam, cum diserte dicatur fuisse *juxta mare*. Ita sane est, detracta cæsis animalibus coria concinnare & polire apud veteres semper turpe fuit habitum, unde tales urbium domicilio carere voluerunt. Docet locus Artemidori, quem vir doctissimus obſervavit: Τὸ δὲ βυρσοδέψειν πᾶσι πονηρὸν. νεκρῶν γὰρ ἅπτεται σωμάτων ὁ βυρσοδέψης. Καὶ τῆς πόλεως ἀπωθεῖται *Coriariam exercere omnibus malum. Mortua enim tractat corpora coriarius. Quare & ab urbe ſecluditur.* Idem factum inter Hebræos veteres mihi fit veriſimile, cum morticinia attingere lege fuerit cautum. Unde & iſtos homines, quibus ſæpe incumbit pelles detrahere morticiniis, ut immundos fere ſemper, ſuo conſortio excluſerunt. Quare & Simonis domus *juxta mare* fuit, h. e. in ea parte urbis, qua mari alluitur. Adeo ut quidem Joppæ habitaverit, ſed urbe excluſus juxta mare.

Bald. de Calc. Ant. cap. 2.

Artemid. lib. 2. cap. 53.

CA-

Caput Tertium.

Calcei ex variis animalium pelli-
bus olim confecti. תחש *apud*
Ezechielem cap. 16. *vers* 10. *de*
taxi *vel* taxonis *pellibus multi*
exponunt. תחש *male pro* taxo
ſumitur. Incertum an vete-
res ex taxi pellibus calceos ge-
ſtarint. Calcei taxei quam
viles. Interpretes antiqui תח
coloris nomen volunt. Vari
interpretamenta. Non eſt colo
niger. Mulieres olim nigro
calceos non geſtarunt. Neque
cæruleus, ut Hieronymus & ali
ὑάκινθον *interpretantur. Calce*
cærulei Regum Gallorum. Du-
bium an iis veteres uſi. תחש *color*
eſt purpureus vel hyſginus juxta
Bochartum. תחש *color quem* לכא
lacca *Talmudici vocant. De*
pellibus ubique תחש *dicitur. Et*
coloris eſt nomen. לכא lacca *co-*
lor ruber corii. Calcei rubri,
ſive coccinei, magno loco habiti

Al-

Albanorum & Romanorum Regum gestamen. Locus Dionis de calceatu Cæsaris, à Ferrario & Salmasio tentatus, emenrdatur. Calcei mullei, qui rubri fuerunt ab iis qui curulem gesserant magistratum, & triumphantibus sumpti. Imperatorum Constantinopolitanorum proprii calcei rubri sive coccinei. In ornatu Pontificum rubea sandalia. Mulieres olim rubros calceos gestarunt. Judæorum magnates in festis solemnibus iis usi. Etiam in Oriente virgines nobiliores. Locus Cant. 7. 1. nondum satis explicatus, illustratur. Multorum interpretum παρεμνεία notata. In locum Judith 10. 3. & 16. 11. conjectura.

I.

CAlceos veterum Hebræorum ex corio fuisse, superiori capite variis rationibus ostendimus. Quodnam vero corii genus

nus in conficiendis eorum calceis adhibitum fuerit, non constat satis, imo prorsus incognitum est. Varias animalium pelles in calceorum usum olim cessisse, ex iis locis, quæ adduximus, colligi potest. Gethæ ex equino corio perones gestarunt, & ex recentibus coriis bubulis confectæ sunt Carbatinæ. Calceos ex bovis corio Hesiodus præcepit hyberno tempore gestandos.

Hesiod. *opp.* vers 540.

Ἀμφὶ δὲ ποσὶ πίδλα βοὸς ἴφι κταμένοιο
Ἄρμενα δησάσθω:

Circum vero pedes calceos bovis in flore occisi aptos ligato. Vult nempe, ut calcei fiant ex corio bovis, uti omnes Græci recte exponunt, nec senio nec morbis confecti, sed qui in ipso robore & flore ætatis occiditur, cujus corium calceis, qui non facile deteruntur, & contra frigus maxime muniunt, sit aptissimum, uti ad illum locum notavit vir undequaque doctissimus Johannes Georgius Grævius, cui quantum debeant politiores literæ nemo ignorat, nisi omnis humanitatis

Grævii Lect. Hes. pag. 67.

tatis expers. Habuerunt Græci τροχάδας ex pelle caprina, & ἀρνακίδας ex pellibus agninis, quomodo & Epiphanius, & Athenæus & Pollux, quos adducit vir eruditissimus Paulus Leopardus, calceos commemorant ex pelle hædina. Leopardus Emend. lib. 2. cap. 2.

II. Si interpretes sequimur, apud veteres Hebræos calcei fuerunt, & quidem in summo pretio, ex pelle animalis, quod voce novitia *taxum* vel *taxonem* vocamus, unde ortum est Belgarum vocabulum *Das*, quo nomine id ipsum animal dicitur. Beneficia, quibus cumulaverat Hebræam gentem, maxima ac prope stupenda, apud Ezechielem describit Deus, sub emblemate ornatus muliebris. Inter cætera recenset, quod *calceaverit eam* תחש. Hebræi תחש animal esse statuunt, de quo multa Talmudici disputant, an animal mundum sit an immundum? Intelligunt autem animal simile תלא אילן *Thela Ælan*, h. e. viverræ, parvi animalis, similis seli, uti prolixè docet in incomparabili de animalibus opere vir summus Samuel Bo- Ezech. 16. 10. 11. 12. Talm. Tract. de Sabbato cap. 2. fol. 28.

Bochart. Herroz p. 1 lib 3. cap. 30. Bochartus. Sed propter nominis alluſionem תחש *taxum*, ſive *taxonem*, alii exponunt. Horum princeps eſt R. Salomon Jarchi, qui hæc verba ואנעלך תחש *& calceavit te tachas*, Gallicè reddidit, קאלצי טוי טיישן *je calſe toy taiſſon*, quomodo ipſius ævo Galli loquebantur. Atque hunc ſequuntur recentiores omnium linguarum interpretes, qui vertunt *calceavi te taxo*, h. e. pellibus taxeis, *met daſſenvellen*, uti Belgæ reddiderunt. In hanc ſententiam exponunt, præter Oſiandrum, Sebaſtianus Munſterus & Franciſcus Vatablus. Vir illuſtris Hugo Grotius de *melium pellibus* accepit. Putavit forſan *taxonem* eſſe *melem* veterum, quod tamen refellere conatur maximus virorum Claudius Salmaſius.

R. Sal. in h. l.

Oſiander, Munſterus, Vatablus & Grotius in h. l.

Salm. in Solin. pag. 1009.

III. Hos omnes, quamvis

Defendat numerus, junctæque umbone phalanges,

magnis rationibus inductus, ſequi non poſſum. Nam præter varia argumenta, quibus ὁ πάνυ Samuel Bochartus male תחש pro *taxo*, ſive

Bochart. loc. cit.

sive *taxone* sumi ostendit, illud mihi videtur quam maximè dubium, an unquam veteres ex taxi pellibus calceos gestarint. Calceos taxi, è corio molli tenero ac eleganti, in usum virginum matronarumque delicatarum paratos, censet quidem Osiander, id vero nullo testimonio firmat. Et sane veteres ex taxi pellibus calceos gestasse, aut aliquod habuisse calceamenti genus, nemo dixit. Pelle taxonis muniri pharetras, & equorum helcia, scuta quoque obtegi, canumque millos sive collaria confici, nonnulli scribunt. At qui dixerit olim calceos ex pelle taxi sive taxonis fuisse, nemo homo est. Quemadmodum & hodie istarum pellium in calceis conficiendis nullus est usus. Ne dicam, nihil hic fore magnificum, si taxeis pellibus inter alia ornamenta gentem Hebræam Deus calceasset, cum istiusmodi calceis ne lixæ quidem & calones, libenter uterentur. Et tamen aliquod genus pretiosi calceamenti hic intelligere necesse est, quod inter tam varium & multiplicem ornatum

Osiander in Paraph.

præ-

prædicat Deus, quodque olim in usum virginum & matronarum delicatiorum paratum fuit. Ut plane alii, quam ex pelle taxonis, hi calcei fuerint, de quibus Deus dicit ואנעלך תחש *& calceavi te tachas.*

IV. Si consulimus veteres scripturæ interpretes תחש nihil minus fuerit quam animal. Etenim omnes, quotquot fuerunt, non animalis, sed coloris nomen volunt. LXX. Græci hic habent: Καὶ ὑπο δυσὶ σε ὑάκινθον, quomodo & alibi in Mose עורת תחשים reddiderunt δέρματα ὑακίνθινα. In textu Hieronymi est *calceavi te hyacintho*, sed in commentariis *Ianthino*, quomodo Aquila & Symmachus interpretati sunt. Alii pro *nigro* eam vocem acceperunt: עורת תחשים Arabum, quos in Suecia Manuscriptos vidit Bochartus, unus reddit *pelles coloris cælestis*, alter *coria randag*, & editi duo, *pelles daris*, id est, *coria nigra*, & *pelles nigras*, utraque voce à Persis mutuata, quibus *daris* de pelle, & *randach* de corio *nigrum* sonat, quomodo & Samaritanus *pelles nigras* habet. *Sasgona* verterunt Chaldæus & Syrus,

rus, quam vocem notare colorem ὑσσινον *hyſginum* multis docet magnus Bochartus, quamvis Hebræi eam ſumant pro animali, quomodo & in egregio ſuo opere *taxum* exponit vir in Hebraicis nemini ſecundus Johannes Buxtorfius. Bochart. loc. cit. Buxt. lex. Talm. R. בבב.

V. In hoc interpretum diſſenſu videndum nobis eſt num quid certi poſſimus invenire. ורוד de *colore nigro* hic intelligi non poteſt, cum olim apud nullas gentes nigri calcei mulierum fuerint. In calceorum coloribus is ſexus quondam, uti & hodie, mirum in modum luxuriavit. Præter *albos*, qui mulierum ut plurimum fuerunt, habuerunt *mulleos*, ſive rubros, *cereos* h. e. ceræ inſtar flavos, & *hederaceos*, h. e. virides, quorum omnium uſum, uti meminit Flavius Vopiſcus, mulieribus reliquit Aurelianus. Videri poſſunt quæ de his variis calceorum coloribus ad eum locum eruditiſſime, uti ſolet, notavit maximus Salmaſius. At nigros calceos olim geſtatos à mulieribus fuiſſe nuſquam legimus. Etenim illi viro- Vopiſc. in Aurel. & ad eum Salmaſius.

rum ut plurimum fuerunt, & quidem Senatorum apud Romanos insigne, unde Juvenalis:

Iuven. sat. 7. vs 190. ——— *Nobilis & generosus*
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

uti jam dudum animadverterunt homines eruditi. Ut תכלת non possit de colore nigro intelligi, cum hic non nisi fœminarum ornatus exprimatur, quibus non conveniunt calcei nigri.

VI. Quid Græci intellexerint per vocem ὑάκινθον, qua reddiderunt Hebræorum תכלת, non adeo certum est. Etenim tam pro *cæruleo* quam pro *purpureo* colore apud idoneos scriptores usurpatur. Qui tamen à se invicem non sunt parum diversi. Ut nondum constet, qualis fuerit color hyacinthinus, *cæruleus* an vero *purpureus*. Et quidem pro *cæruleo* Hieronymus accepit. Notat ad hæc verba, *calceavi te hyacintho*, vel ut alii *ianthino: cum loti fuerint pedes, & omni sorde purgati, calceantur hyacinthinis*, vel ut alii *Ianthinis, quod utrumque aerii & ἀναγέος coloris est*,

Hier. in Ezech. 16. 10.

ut

ut rapiantur in occursum Domini in aerem, & ad cælestia regna festinent. Idem alibi: *Involucra hyacinthina, propter coloris similitudinem, referamus ad aerias potestates.* Neque Hieronymus tantum, sed & alii complures cum cœlo & aere hyacinthum & hyacinthinum contulerunt. Ita Origines, Theodoretus, Gregorius Nyssenus, Ambrosius. Quomodo & Arabum interpretũ unum עורות תחשים *pelles coloris cælestis* reddidisse superius vidimus.

Hier. in Ezech. 27. 24.

Orig. in Exod. Hom. 13. Theodor. in Exod. Quæst. 6. Gregor. Nyss. de vita Mosis. Ambr. in Apoc. 9.

VII. At nos ὑάκινθον male exponi colorem cæruleum putamus. Est quidem is color etiamnum usitatus in pompaticis Regum Gallorum calceis, quos è serico, velutove cæruleo, cum liliis aureis opere Phrygio intextis, confici consueviſſe, auctor est Monstreletus. Quales in variis Galliæ locis in multis Regum Gallorum imaginibus posse observari, monuit vir doctissimus Benedictus Balduinus. Ac præ omnibus unam, eamque insignem HENRICI MAGNI effigiem, ad vivum expressam, quæ in regio illo cænobii Sandionysiani

Bald. de Cal. Ant. cap. 4.

nysiani ærario, singularique armario stat inclusa, id ostendere, quæ præter vestimentorum, quibus in sua inauguratione Gallici Reges uti solent, insignia, calceos è serico cæruleo, liliis aureis distincto, spectantium oculis exhibet. Olim tamen calceos cærulei coloris in usu fuisse merito dubitamus. In omni antiquitate unicum exemplum nos observare potuimus, & quidem non adeo vetustum, de Michaelis Palæologi Socero, qui Sebastocrator dicebatur, & cæruleis calceis ab Imperatore distinctus fuit, uti memoriæ prodidit Nicephorus. *Cæsar*, inquit, *cum Despote Socero Sebastocrator appellatur. Soceri vero illustri discrimen in cæruleis calceis aquilæ intertextæ constituebant.* Scilicet, ea tempestate, qua purpureus color Imperatorum Constantinopolitanorum proprius fuit, in calceorum cæruleo colore discrimen est positum, ut ab ipso Imperatore socer distingueretur, qui cum aquilis intertextis cæruleos calceos habebat, cum Imperator cum aquilis intertextis purpureos gestaret.

Niceph. lib. 4.

At

At exemplum vetustius nos nullum legimus, aut ab ullo hominum eruditiorum vidimus animadversum. Ut non immerito ambigemus an inter Hebræos veteres cærulei calcei fuerint in usu, quod tamen omnino necesse est, si ὑάκινθος colorem cæruleum notaret.

VIII. Dicendum ergo pro colore *purpureo* ὑάκινθον sumendum esse apud LXX. Senes, quomodo & vir summus Samuel Bochartus תכלת accipit vel pro hyacinthino colore, vel pro hysgino, qui hyacinthino est affinis, (quod multis etiam docuit maximus Salmasius, qui hyacinthinum & hysginum ita differre probat, ut tamen affinis sint tincturæ, & utrumque pro *purpureo* usurpetur) qua significatione etiam sumendam vocem *Sasgona*, quam Syrus atque Chaldæus habent, contendit, ut nempe idem sit, quod apud Græcos ὑσγινος, qualis color cocco tingitur, & ad purpuram accedit.

Bochart. loc. cit.

Salm. Exer. Plin. pag. 272.

IX. Nos quidem non dubitamus, quin תכלת sit is ipse color, quem לכא *lacca* Talmudici vocant. Illud observandum תכלת

de pellibus ubique dici. In iis, quæ in Exodo ad ſtructuram Tabernaculi offeruntur, memorantur *pelles arietum rubefactæ & pelles* תחשים *tachaſim.* In eodem libro, Tabernaculi tegumento *ex arietum pellibus rubefactis*, ſuperinducitur מכסה עורות תחשים *tegumentum ex pellibus tachaſim.* In Numeris quoque, ſuper, arcam, & menſam, & candelabrum, & altare aureum, & omnia vaſa ejus expandi jubetur operimentum *ex pelle* תחש *tachas*, & Gerſonitæ jubentur ferre aulæa Tabernaculi, & tentorium conventus ejus ומכסה התחש *& operimentum tachas quod eſt ſuper illud.* Atque ut תחש de pellibus ubique dicitur, ita & colorem ſignificare, cum pellibus rubris adjungatur, manifeſtum eſt. Etenim cum memorantur *pelles arietum rubræ & tachaſim*, ſatis conſtat utrumque ex æquo eſſe coloris nomen. Non mihi latet, quid hic opponat noſtri ſeculi ſummus Theologus Iohannes Coccejus: *Non videri probabile, nihil niſi colorem notari, quia tum non diceretur in plurali* תחשים. Hæc vero ratio

Exod. 25. 5 & 35. 23.

Exod. 26. 14. & 36. 18. & 39. 34.

Num. 4. 6. 8. 10. 11. 13. 14. 25.

Coccejus in Lex. Hebr. R. תחש

tio me parum movet. Etenim uti ab אדם, quod *rubrum* notat, fit plurale אדמים, & à שחור *niger*, plurale שחרים, non video cur à תחש non possit dici plurale תחשים. Cum itaque תחש de pellibus dicatur, & colorem significet, non alium colorem ego fuisse puto, quam quem לבא Talmudici vocant. לבא Talm. in R. Salomo definit צבע עור אדם *colorem corii rubrum*. Scilicet de rubro colore id intelligi vult, quamvis in corio magis quam in pannis. Pesachin fol. 24. b. & Cholin fol. 28. a.

Videri possunt quæ observata sunt viris præstantissimis Johanni Buxtorfio & Samueli Bocharto. Is vero color coccineus mihi fuisse videtur. Quod quidem voluit R. Salomon Jarchi, qui in Cholin לבא exponit per יפר"קא in Pesachin autem per סר"קא, si vera est viri doctissimi Johannis Braunii, qui vestitum Sacerdotum Hebræorum luculento commentario nuperius illustravit, conjectura, qua pro סר"קא emendat סרלקא, ut *coccinum* intellexerit Jarchius. Quomodo & de coccino intelligenda vult ea Talmudis loca, eo magis quod in Pesachin quæstio sit de

Buxt. Lex. Talm. R. לבא Bochart. Hieroz. p. 2. lib. 4. cap. 4.

Braun. de vestitu Sacerd. Hebr. lib. 1. cap. 15.

aqua & furfure, qua utuntur infectores ad tingendam *laccam*, quali aqua & hodie utuntur ad tincturam coccini. Ut cum Jarchius *Lacca* explicet צבע עור אדם שקורין סרלקא, ut quidem pro פר"קא, vel סר"קא emendat, perinde sit ac si dixisset, *color est ruber corii, quem vocant Sarlaka.* Neque possum omittere quod idem conjecit vir eruditissimus, procul dubio eundem colorem, & idem *corium* esse, quale nobis & hodie affertur Smirna, & ex aliis locis, quod Gallicè *Maroquin du Levant* dicimus. Cum itaque לבא colorem rubrum corii interpretatur R. Salomoh, nos תחש eundem colorem fuisse putamus.

Braun. lib. x. cap. 14.

X. Talem colorem rubrum, sive coccineum, hic intelligendum ex eo fiet longe verisimilius, si attendamus tales calceos gestare magnificum fuisse. Facile videre est in hisce calceis, de quibus Propheta, aliquid magnum fuisse, cum inter tot ornamenta recensentur. Quorsum enim inter alia præclara, quibus Hebræam gentem se ornasse prædicat supremum Numen, mentionem

tionem faceret, *se calceasse tachas*, si non aliquid pretiosum & in calceis eximium intelligatur? Unde Targum habet יהבית מסנך דיקר ברגליכון *posui calceamenta pretiosa in pedibus tuis.* Vidit videlicet magnum quid esse, de quo loquitur Deus, *se calceasse tachas.* At nihil magis magnificum fuit quam calcei rubri, sive coccinei, qui & olim in summo fuerunt honore, & proprium Regum & Imperatorum gestamen.

XI. Rubris calceis olim usi sunt Albanorum Reges, ex quorum exemplo tales gestarunt Reges Romanorum. De Romulo Zonoras refert, quod πεδίλοις ἐκέχρητο ἐρυθροῖς *calceis rubris utebatur.* Usus est iis postea Julius Cæsar, ut ex Albæ regibus se ortum testaretur, uti auctor est Dio. Locus Dionis corruptè vulgo legitur: Τῆτε γὰρ ἐσθῆτι χλανιστέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει, καὶ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε, καὶ ὑφηλῇ, καὶ ἐρυθροφόρῳ κατὰ τὰς Βασιλέας τὰς ἐν τῇ Ἄλβῃ ποτε γενομένας, ὡς καὶ προσῆκον σφίσι ἀφ' τοῦ Ἴλλου ἐκέκτητο. Sed pejus ab interpretibus est exceptus: *Quippe semper laxiori*

Zon. lib. 2. Annal.

Dio lib. 49.

xiori veste delicate utebatur, & cinctura fluxiore: aliquando etiam veste sublimiori, ac rubea utebatur more Regum, qui Albæ quondam imperaverant, cum ab Julo id ad ipsos pervenisset. Interpretum errorem, qui ὑποδέσει verterunt *cincturam fluxiorem*, atque verba ὑψηλῇ & ἐρυθροχρόῳ ad ἑσθῆτα retulerunt, cum perspicuum sit ad ὑποδέσει referri, cum dici non possit quid sit vestis ὑψηλὴ, & de calceamentis Cæsaris loquatur Dio, quæ vel humilia, vel alta dicuntur à veteribus, optime castigavit magnus Casaubonus, mendum tamen quod latet non animadvertit. Quid enim est ἢ μίτρα ταῦτα ἐνίοτε? Octavius Ferrarius, vir plane eximius, postquam pariter notasset pueriliter admodum ὑποδέσει vel pro fluxiore cinctura, vel pro veste interpretatos esse, cum nemo vel leviter literis Græcis tinctus ignoret, ὑποδέσει esse calceationem sive calceatum, verba Dionis ab interpunctione laborare putat, & una plus conjunctione abundare: Unde ea hoc pacto concinnat: τῆτε γὰρ ἑσθῆτι πανυστέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνεβρύετο, ἢ τῇ ὑπο-

Casaub. ad Suet. jul. cap. 45.

Ferrar. de Re Vest. p. 1. lib. 1. cap. 13.

ὑποδέσει μετὰ ζώνης ἐνίοτε, καὶ ὑψηλῇ, καὶ ἐρυθροχρόῳ: *Nam veste laxiore ſemper molliter utebatur, & calceamentis aliquando deinceps etiam altius culis ac rubeis.* At aliter longe apud virum maximum Claudium Salmaſium locum Dionis citatum repperi. Τῆτε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει κεντητῇ, ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ. Putavit forſan vir maximus pro καὶ μετὰ ζώνης legendum eſſe κεντητῇ, ut Dio dicat, ὑποδέσει κεντητῇ Cæſarem luxuriaſſe. Κεντήτων ὑποδημάτων, & quidem pretioſiorum purpureis atque aureis meminit Epictetus. Καθάπερ, inquit, καὶ ἐπὶ τῷ ὑποδήματος, ἐὰν ὑπὲρ τὸν πόδα ὑπερβῇς, γένηται χρυσοῦν ὑπόδημα, εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κέντητον: *Ut & in calceo, ſi ultra pedem progreſſus fueris, fit auratus calceus, deinde purpureus, deinde interpunctus.* At quid ſint κέντητα ὑποδήματα diſſentiunt eruditi. Putavit Wolfius, vir Græcè doctiſſimus, *ſive artificioſe diſſectos, ſive pictos, ſive gemmis aut imaginibus interpunctos calceos ſignificare* τὰ κέντητα ὑποδήματα. Magnus Caſaubonus

Salm. ad Vopiſci Aurelianum.

Epict. Enchrid. cap. 61.

Wolf. ad Epict.

in tractatu ἀνεκδότῳ *de calceis*, uti refert filius ejus Mericus, tanto patre digniſſimus, τὸ κέντητον ὑποδήμα *calceum gemmis diſtinctum* exponit, quod idem Mericus pluribus adſtruit. At mihi maxime placet Salmaſii ſententia, qui *acu pictum* intelligendum exiſtimat. Opera κέντητα dici notat, quæ arte Phrygionis erant elaborata. Hinc Epictetum affirmat eo genere laboratum calceum, ſive acu pictilem, ſive acu punctilem dixeris, κέντητον vocare, & facere pretioſiorem aurato & purpureo. Atque hoc in mente habuiſſe videtur maximus Salmaſius, cum apud Dionem κεντητῇ repoſuit. Poſt tantos viros liceat mihi etiam ſymbolam conferre. Ego propius ad priſcam lectionem locum Dionis hac ratione emendari poſſe exiſtimo: Τῇτε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἀεὶ πᾶσιν ἐνῃβύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει. Καὶ μὲν ταύτῃ ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ, καὶ ἐρυθροχρόᾳ: *Veſte vero fluxiore ſemper luxuriabat & calceatu: Et illo quidem aliquando & altiori & rubro* &c. Μὲν ταύτῃ facile in μετὰ ταῦτα mutari potuit. Sed hæc perpendere poteſt diligen-

Mericus Caſaub. in Epict.

Salm. ad Vopiſci Carinum.

gentius Vir CL. Jacobus Gronovius, magni illius Iohannis Frederici filius, qui paternis insistens vestigiis reconditas literas ab interitu vindicare nititur, & unus omnium Dionem nobis integrum dare potest, uti illustri documento jam reliquit testatum.

XII. Atque uti à regibus Albanis primo, dein à Romanis rubri calcei gestati fuerunt, ita postea mullei usurpati sunt. Hi vero *mullei* rubri fuerunt, & quidem olim tanto loco habiti, ut qui in curuli magistratu erant, non eos semper & ubique gestarent, sed diebus tantum solemnioribus, & ludorum celebratione, & cum thensas ducerent, uti jam pridem monuerunt viri eruditi. Ipsi, qui triumphabant, calceos rubros sive puniceos sumebant. Docuit hoc magnus Casaubonus ex veteri lapide, qui ad C. Marii memoriam Arimini positus est: DE. MANUBIEIS. CIMBRICEIS. ET. TEUTONICEIS. AEDEM. HONORI. VICTOR. FECIT. VESTE. TRIUMPHALI. CALCEIS. PUNICEIS. Quem etiam exhibent Clau-

Casaub. ad Suet. Iul. cap. 45.

Salm. ad Vopiſci Aurelian. Bald. de Calc. Ant. cap. 10. Rub. de Re Veſt. l. 2. c. 1.

Claudius Salmaſius, Benedictus Balduinus, Albertus Rubenius, & complures alii. *Calcei punicei* in illa inſcriptione ſunt mullei, vel ἐρυθρόχροοι, uti Dio vocat, qui triumphantibus geſtari ſoliti. Coccineorum calceorum etiam meminit Martialis, cum in Rufum quendam, qui pedes cingebat coccina aluta, ita ludit:

Mart. lib. 2 Epigr. 29.

Non heſterna ſedet lunata ligula planta,
Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Ferr. in Anal. de Re Veſt. cap. 34.

De quo loco videri poſſunt quæ diſputat vir inſignis ingenii & doctrinæ Octavius Ferrarius.

Procop. lib. 3. de Ædif. Iuſtiniani.

XIII. Poſteriori ævo hic mos geſtandi calceos rubros ad Imperatores tranſiit, uti docet Procopius: Ὑποδήματα, inquit, μέχρι εἰς γόνυ φοινικῷ χρώματι, ὃ δὴ βασιλέα μόνον Ῥωμαίων τε καὶ Περσῶν ὑποδεῖσθαι θέμις. *Calcei uſque ad genua punicei coloris, quibus ſolis Romanorum & Perſarum regibus calceari licet.* Quod quidem tranſlato ad Bizantium imperio illis Imperatoribus ſingulare fuit, ut geſtarent πέδιλον ἐρυθρὸν ſive φοινικοβα-

βαφὲς, ut ex Zonora, Niceta, Paulo Diacono, Georgio Phranze, atque aliis constat, & à viris doctissimis animadversum est. Corippi locus hic adscribi meretur, qui imperatorios calceos Iustini junioris describit: Corip. lib. 2. cap. 3.

Purpureo suræ resonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco,
Qui solet edomitos victor calcare tyrannos
Romanus princeps, & barbara colla domare:
Sanguineis prælata rosis, laudata rubore,
Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis:
Augustis solis hoc cultu competit uti,
Sub quorum pedibus regum cruor.

Guilhelmi item Apulienſis, qui ante annos sexcentos rebus Guiscardi Calabriæ ducis interfuit, non prætermittendi sunt versus: Guilh. Apulien. lib. 1. Rerum in Italia ac Regno Neapol. Normannicarum.

— *Assumitur*, inquit, *Imperialis*
Purpura, pes dexter decoratur pelle rubenti,

Qua

Qua solet imperii qui curam suscipiu uti.

Atque hinc Isacius Comnenus à Patriarchatu dejecit Constantinopolitanum Patriarcham, quod ἐπεβάλετο κοκκοβαφῆ περιβαλεῖν πέδιλα *susceperit se induere calceis coccineis*, uti refert Curopalates, sive Georgius Codinus. Qui etiam Bulgarici imperii insignia fuisse tradit, στέφανον ἐκ χρυσοῦ, & πέρυν γεγησμένην ἐκ βυσσοῦ, & πέδιλα ἐρυθρά. *coronam auream, & tiaram ex byssonetam, & calceos rubros.*

Curop. in Vita Isacii Comneni Idem in Tzimisce.

XIV. Observatum quoque est tum ab aliis tum ab eruditissimo viro Benedicto Balduino, mansisse etiamnum in ornatu Pontificum rubeas caligas & sandalia. Sic enim Cerimoniale Pontificum: *Induitur papali habitu, toga scilicet linea alba, caligis rubeis & sandaliis rubeis, aurea cruce signatis.* Scilicet ab eo tempore, quo se quam maxime Romani Pontifices cæperunt extollere, etiam in cultu & externo splendore voluerunt esse insignes, ac pro sandaliis Apostolicis, rudibus illis, uti credere par est,

Bald. de Calc. Ant. cap. 4.

Cerem. Pont. lib. 1. cap. de indumentis Elect.

&

& impolitis, pedibus induere sandalia rubea, crucis aureæ ornamento insignita, cæperunt, ut vel hac ratione se Imperatorum ostenderent æmulos, quorum Tzangæ fuerunt purpureæ, aureis aquilis intertextæ. Quales rubri calcei etiam censentur inter Episcopalis habitus insignia, ut idem animadvertit doctissimus Balduinus. Bald. loc. cit.

XV. Neque olim tantum aut Albanorum aut Romanorum Reges, & postea Imperatores calceos rubros gestarunt, etiam mulieres iis luxuriarunt. Rubeus enim calceus etiam à mulieribus interdum usurpatus est, ut eruditi docuerunt. Virgilius: Virg. Ecl. 7. vs 32.

Purpureo stabis suras evincta cothurno.

Persius: Pers. Sat. 5. vs 69.

—— *Solea puer objurgabere rubra.*

Tertullianus: *Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Atque his quidem Deas ornant Poëtæ. Venerem, venatricis habitu prope Carthaginem Æneæ apparentem, cum *Cothurnis purpureis* Virgilius facit. Pari ratione Dianam calceat Tert. de Pal. c. 4. Virgil. 1. Æn.

Livius

Liv. Andr. Hym. in Dianam. Livius Andronicus apud Terentianum Maurum:

Et jam purpureo suras includere thurno.

Nemes. in Cyneg. ℣s 92. Quos imitatus videtur Nemesianus, qui de eadem Diana canit:

Candida purpureis aptentur crura cothurnis.

XVI. Istiusmodi calceos rubros vel coccineos, apud Prophetas intelligendos esse, ego dubito nullus, cum inter alia Deus prædicat *se calceasse* תחש *tachas*, h.e. calceis coccineis. Magnates Hebræorum eos olim gestasse in tribus præcipue festis solemnioribus videre est ex Chaldæo Paraphraste, qui verba Cantici *Quam pulchri sunt pedes tui in calceis*, ita exponit: *Quam pulchri sunt pedes Israelis* (Magnatum nempe in illo populo) *cum ascendunt ut appareant coram domino tribus vicibus* נכנולין דסספגתא *in sandaliis saſgona* h.e. coccineis. Quin & apud alios Orientis populos mulierum ornamentum fuisse, ut purpureis sive coccineis calceis uterentur, ex Virgilio discimus. Apud illum

Chald. Parap. ad Cant. 7. 1.

illum enim cum venatricis habitu cum purpureis cothurnis Ænææ prope Carthaginem appareret Venus, Tyrias virgines dixit, nempe quæ in iis erant genere & opibus insignes, ita indui solere:

Virginibus Tyriis *mos est gestare pharetram,*
Purpureoque altè crura vincire cothurno. Virgil. 1. Æn.

XVII. Ad hos rubros calceos Auctorem Cantici allusisse suspicor, dum sponsæ pedes à calceis commendat, מה יפו inquit, פעמיך בנעלים בת נדיב *Quam pulchri sunt pedes tui in calceis filia principis.* Multi interpretes vocem פעמים *gressus*, sive *incessus*, vertunt. LXX. Ὡραιώθησαν βάμματα σου ἐν ὑποδήμασί σου. Vulgatus: *quam pulchri sunt gressus tui*: Belgæ. *Hoe schoon zijn uwe gangen in de schoenen.* Eodem modo alii. At פעמים licet *gressus*, sive *incessus* notet, pro ipsis *pedibus* aliquando sumitur. Quod quidem Lexicographi variis exemplis ostenderunt, inter quos eminent viri magni Buxtorfius & Coccejus. Neque aliter ea vox hic

Cant. 7. 1.

Buxt. & Cocc. in Lex. Hebr. R. פעם

hic accipienda est. Auctor Cantic. Sponsam prædicat ab omnibus partibus, quæ muliebre corpus & formam commendant. Femorum, umbilici, ventris, uberum, colli, oculorum, nasi, denique capitis & comæ meminit. Exordium autem a בעמים. Quod sane non nisi de *pedibus* intelligendum est. Scil. à pedibus initium ducit, non vero à *gressu* sive *incessu*. Pedes autem pulchros in calceis dicit, quia rubris sive coccineis ornabantur, qui pedibus singulare decus atque ornamentum adferebant, cum magis nivei apparerent. *Etenim* pedum candor, intra vincula rubra sive coccinea positus, niveus videbatur. Apud Rabbinos celebre est: יאא מסכנותא ליהודאי כערקתא סומקא רעל לביה דסוסיא היורא *pulchra est paupertas Judæis. sicut lorum rubrum in pectore equi albi* Pariter pulchri fuerunt pedes albi in rubris sive coccineis vinculis. Fascias enim pedules, quas πέδιλας Græci vocant, uti pulchrè docuit vir summi ingenii & eruditionis Johannes Georgius Grævius, de quibus plura etiam observarunt viri maximi;

Ialk. fol. 144. col. 4. & in Aruch in ערק

Grævii Let. Hes. pag. 68.

maximi, Isaacus Casaubonus, & Claudius Salmasius, antiquis temporibus Orientis populi ignorarunt. Quod Varro affirmat, calceamenta sine fasciis sumi solita se puero (nam & Romani fasciis pedulibus sero sunt usi) id olim obtinuit, inter orientales præcipuè, ut nudis pedibus calceos induerent. Qui quidem cum soleæ tantum essent, habenis rubris sive coccineis circum pedem ligatæ, pedum candori gratiam conciliarunt. Ut optime dicat Auctor Cantici, *quam pulchri sunt pedes tui in calceis, filia principis.* Atque hoc quod conjecimus de rubris sive coccineis calceis Chaldæi Paraphrastæ suffragio confirmatur, qui hæc verba interptetatus est de magnatibus Israelis, *qui tribus vicibus ascendunt, ut appareant coram Domino* בסנדלין דסמגונא *in sandaliis sasgona*, h. e. coccineis. Non inquirimus quam recte hæc referat ad Synedrium veterum Hebræorum, sive Magnates, qui iuxta Dei legem ter quotannis in festis solemnioribus ad Templum ascendebant. Nobis satis est quod de sandaliis coccineis id intellexerit Paraphrastes,

Casaub. ad Suet. Aug. cap. 82. Salm. ad Lampr. pag. 221.

ſtes, quæ pedes inſigniter ornarunt. Hæc quidem genuina mihi videtur hujus loci expoſitio, quam nemo interpretum, quos conſului, animadvertit.

Iudith. 10. 3. XXVIII. De Juditha legimus, eam inter alia, quibus nativæ pulchritudini decus atque elegantiam conciliabat, ut Holophernis oculis ſtrueret inſidias, *induiſſe* σανδάλια *eis tas podas autes ſandalia pedibus ſuis.* Quæ quidem fuerunt tanta elegantia, ut ejuſdem hiſtoriæ monumenta teſtentur, τὸ σανδάλιον αὐτῆς ἥρπασεν ὀφθαλμὸν αὐτῶν. Vir illuſtris Hugo Grotius, uti apud Ezechielem *calceavi* נעלתי de calceis exponit ex melinis pellibus, ita & hic notavit ſandalia Judith fuiſſe *ex melinis pellibus: ita enim mos erat*, inquit, *diebus feſtis.* Nos vero diceremus ſandalia hæc fuiſſe coccinea ſive rubra, quæ pedum candori decus atque elegantiam conciliarunt, qualia diebus feſtis geſtari ſolita Chaldæus Paraphraſtes docet. Sed de his ſandaliis etiam inferius.

ibid. 16. 11

Grotius ad Iudith 10. 3.

CAPUT QUARTUM.

Empedocles æreos vel ferreos calceos gestavit. Locus Deut. 33. 25. Ferrum & æs calceus tuus, *nondum à quoquam recte expositus.* מנעל pessulum, *vel* seram *Arabes vertunt. De urbibus munitis interpretantur Chaldæus, Kimchi & Jarchi. Ejusdem sensus meminerunt Belgæ & Coccejus.* מנעל *cum* מנעל *confusum. Ascheritarum urbes non adeo munitæ.* מנעל compedem *Samaritanus reddit, quem Andræas Masius sequitur.* מנעל *nunquam pro* compede *sumitur. Masii sententia refutata.* מנעל *vulgo* calceus. *Ascheris portionem æris & ferri fodinis fæcundissimam fore multi exponunt. Qui tamen omnes errant. Masii non unus lapsus. Æs in carmelo monte quidem, sed is pertinuit ad portionem*

Isa-

Isascharis. Nullum æs in Liba
vel Antilibano. χαλκολίβανον ha
quaquam æs ex Libano mont
effossum. Sarepta unde dicta
Johannis Cocceji sententi
Viro magno dissensum. Dubium
an veteres extra militiam cal
ceos ære vel ferro suppactos h
buerint. Neque de calceo ferr
suppacto hic locus exponi pot
Nostra quondam de hoc loco se
tentia: Nova expositio nostra
מגל Κνημίδας h. e. ocreas notat.
Veteres cum ad prælium iren
ocreis ex ære & ferro pedes
muniverunt. Unde allusio ad
denotandum bellicosos homines.
Verba sequentia וכימן דבאן ex
plicata. Sensus ex eventu con
firmatus. Ex Curtio mendum
sublatum. Nicolai Heinsii encomium.

I

De Empedocle Agrigentino
hoc singulare refert Ælia-
nus

nus, quod calceis æneis utebatur. Ἐμπεδοκλῆς, inquit, ὁ Ἀκραγαντῖνος ἁλουργεῖ ἐχρήσατο, καὶ ὑποδήμασι χαλκοῖς: *Empedocles Agrigentinus purpura utebatur & calceis æneis.* Empedoclis calceos æneos fuisse, præter Suidam & Philostratum, confirmant etiam Favorinus atque Neanthes apud Diogenem Laertium, qui Empedoclem montis Ætnæi flammis abreptum consumptumque ex eo deprehensum prodiderunt, quod paulo post, quam comparere desiit, æreus illius calceus, in locis monti isti vicinis, inventus sit. Quare cum veteres tradant æreos Empedoclem calceos gestasse, unde Tertullianus, ad id alludens, *quod Philosophus in ære, quidni & in auro*, dixit, nescio cur Alexander ab Alexandro Neapolitanus *ferreum* Empedocli calceum tribuerit. Sed sive æreus sive ferreus fuerit Empedoclis calceus, utrumque fuit insolitum, & ab usu communi alienum. Unde & hoc exemplum tanquam singulare, & uni Empedocli proprium, eruditi homines observarunt. Tamen apud Mosen videri posset de

Æl. Var. Hist. lib. 12. cap. 32.

Suid. in Ἀμύκλαι & Ἐμπεδ. Philostr. in Hellad. Diog. Laert. de Vit. Phil. lib. 8.

Tert. de Pal. c. 5.

Alex. Gen. Dier. lib. 5. cap. 18.

ferreis atque æneis calceis fieri mentio. In solemni benedictione, Deut. 33. 25. non tantum *præ filiis benedictum, ac fratribus acceptum* prædicat Aschere, & quod *tingat in oleo pedem suum*, h. e. possideat terram oleo abundantem (quod jam olim à Jacobo fuerat prædictum, qui in divino suo vaticinio de Aschere Gen. 49. 20 pronuntiaverat, *pinguem esse ejus panem*, & postea confirmavit eventus, cum eam terræ partem Asche ris posteri occupaverint, quæ citra Jordanem ad mare magnum fuit, vino, oleo, ac imprimis pingui tritico fæcundissima) verum etiam quod sit ברזל ונחשת מנעלך / h. e. uti LXX. reddunt: Σίδηρος καὶ χαλκὸς τὸ ὑπόδημα αὐτῆς ἔσῃ: & Vulgatus, *Ferrum & æs calceamentum ejus.* Sed quia de hoc loco sunt variæ & discrepantes interpretum sententiæ, quorum nemo, ut mihi quidem videtur, verum sensum est assecutus, nostrum est accuratius hæc verba exponere.

II. Quod fieri solet in vocibus ἅπαξ λεγομένοις, ut diversas sortiantur interpretationes, idem contigit voci מנעל. *Pessulum* vertit Arabs,

Arabs, quem nobis dedit Thomas Erpenius, vir in Arabum literis nulli secundus. Non multum abit Arabs interpres, Parisiis editus, qui *seras* habet. Sensum Chaldæus expressit: תקף כפרולא ונחשא מחכך *fortis ut ferrum & æs habitatio tua.* Quem fusius exponit Rabbinus non incelebris David Kimchius: R. Dav. Kimchi ad h. l. ויים אותו מענין הראשון כלומר שתהיה ארצו חזקה כאילו סגורה בחמורת נחשת וברזל: *Jonathan interpretatur hoc ex significatione priori, quasi dicat fore ut terra ejus sit tam munita, quasi clausa esset muris aheneis & ferreis.* Idem vult R. Salomon Jarchius. R. Sal. Iarchi ad h. l. שהיה גבוריהם יושבים בערי הספר ונתעלין אותרת שלא יוכלו האויב יכנס בה כאילו היא סגורה במנעולים ובריחים של ברזל ונחשת: *Quia potentes eorum habitabant in urbibus littoreis, quas observabant, ne posset hostis ingredi illas, ac si reclusæ fuissent seris & repagulis ferreis & æneis.* Eandem significationem vocis מצור agnoscunt viri doctissimi, qui notas alleverunt Belgarum novissimæ versioni, ut sit: *Uwe grendel sal koper en yser zÿn, dat is,* Belgæ ad h. l. *u landt sal als met ysere en kopere grendelen besloten en bewaert zÿn.* h. e.

pessuli tui erunt ferrum & æs, quasi dicat: terra vestra quasi ferreis & æneis pessulis concluſa & custodita erit. Ejus sensus etiam meminit vir summus Johannes Coccejus: *Addicit ipsi firmitudinem portarum & obicum, ut non possint ulla vi perrumpi & refringi. Forte huc referas Ez 33. 19.*

Cocc. in vlt. Mosis.

III. Hæc vero interpretatio mihi nequaquam probatur. Pro *pessulo* sive *sera* usurpant Hebræi vocem מנעול, cum qua confudisse videntur hanc vocem מנעל. Atque aliud est מנעול aliud מנעל. Ut licet מנעל *pessulum* sive *seram* notet, non tamen מנעל id ipsum significet. Ne dicam, non certo constare an Ascheritarum urbes fuerint adeo munitæ, quasi ferreis aut æneis pessulis sive seris concluſæ essent. Nullo enim idoneo id testimonio firmatur. Quin parum munitas urbes fuisse quas Ascheritæ posse-
Iudic. 5. 17 derunt, ex libro Judicum colligi videtur. Inter complures qui domi remanserant, cum Debora & Barachus fugarent Midianitas, Ascheris posteri recensentur. Atque hi dicuntur *sedisse juxta mare & mansisse* על מפרצין *apud rupta sua*, h. e.

h. e. in laceris civitatibus, uti multi vertunt, vel *in petrarum fissuris*, ut alii exponunt. Quod utrumque ostendit male munitas fuisse Ascheritarum urbes. Etenim si מפרץ hic rupturam notat, & de laceris civitatibus intelligendum est, quomodo Vatablus notavit: *Rupturas vocat urbes semidirutas, non enim habebant Ascheritæ urbes satis munitas*, & Clarius accepit *de oppidis interruptis, quæ jugi opus habebant defensione*, quis dicet Ascheritarum urbes adeo munitas fuisse, quasi ferreis atque æneis pessulis concluse essent? Si vero notat *fissuras petrarum*, sane minime munitas fuisse Ascheritarum civitates dicendum est, cum ipsi non fiderint suarum urbium mœnibus, sed ingruente hostium multitudine in petrarum fissuris se occultarint.

Vatablus ad Iud. 5. 17. & ibid. Clarius.

IV. Aliis vox מנעל est *compes*. Ita Samaritanus: *compedes tui ex ære & ferro*. Sequutus est hanc notionem vir summi ingenii atque acerrimi judicii Andræas Masius, cujus eximium in Josuam commentarium nemo, uti par est,

Masius in Ios. 19 30.

prædicare potest. *Ego vero*, inquit, *ferrea atque ænea claustra dicere Mosen existimo, h. e. pertinaces barbarorum vires, quas Asseritæ non poterunt frangere. Quis enim nescit quanta manserit perpetuo barbarorum copia in Galilæa gentium? Ea autem maxima fuit hæreditatis Aseritarum pars. Huic enim sententiæ pulchrè consentit quod in Mosis verbis continuo sequitur* כימיך דבאך *cujus periodi simplicissima verissimaque interpretatio est*, Et quot dies tui, tot ærumnæ tuæ, *q. d. Tibi certamen perpetuo est futurum, cum veteribus tuarum possessionum colonis, à quibus tanquam ferreis & æneis claustris submoveberis.*

V. At nos errare Samaritanum interpretem, & Andream Masium putamus. מנעל à נעל *oppessulare, concludere*, deductum, *compedem* notare posset, sed pro *compede* apud Hebræos nusquam usurpatur, qui vel כבל vel עכס / vel צנק *compedem* vocant, nunquam מנעל. Accipiunt quidem nonnulli נעל *pro compede*, Ps. 60. 10. in hoc Davidis dicto, על אדום אשלך נעלי quasi dicat, *super Edom projiciam compedem meum.* Nos vero vulgarem istius vocis significa-

ficationem, qua pro *calceo* sumitur, neutiquam rejiciendam esse dicimus, præsertim cum alius longe sit istius loci sensus, uti inferius prolixe ostendimus. lib. 2. cap. 8. Sed neque interpretatio quam Masius dedit huic loco convenit. Barbaros intelligit in Galilæa gentium, qui Aseritas præferunt, ut pedem premit calceus ferreus h. e. compes. Atque hoc plane ab orationis serie alienum est. Continetur hoc capite benedictio Mosis, qui jam moriturus duodecim tribubus bona precatur. Quæ de singulis dicit sunt fausta ac felicia. Ea ipsa quæ precedenti commate de Aschere prædicantur, *Benedictus Ascher præ filiis, fratribus suis sit acceptus, & tingat pedem suum in oleo*, non nisi læta sunt. Quorsum hæc de compede adjiceret Moses, ut significaret Ascheritas à barbaris istis qui manserunt in Galilæa Gentium, premendos esse, ut pedem premit ferreus compes. Nec juvant Masium verba sequentia: וכימיך דבאך quorum simplicissimam verissimamq; interpretationem putat, *& quot dies tui, tot ærumnæ tuæ.* Etenim nequaquam hic de ærum-

nis agi vel ex eo manifestum est, quod meras benedictiones spiret Moses: Ut hæc interpretatio non sit simplicissima verissimaque, sed ea quam habent LXX. Senes, qui omnium optime hæc verba reddiderunt: ὡς αἱ ἡμέραι σου, ἡ ἰσχύς σου, ut mox docebimus.

VII. Vulgatissima est interpretum sententia ut מנעל sit *calceus*. Sumunt hac notione LXX. interpretes itemque Vulgatus. Sequuntur omnes fere recentiores & Lexicographi. Sed non uno modo hujus locutionis sensum viri docti hariolantur. Plerique putant his verbis significari Ascheris posteros solum calcaturos, æris & ferri fodinis fœcundissimum. Horum sententiam refert vir doctissimus Sebastianus Munsterus, & qui scrinia ejus manifesto plagio compilavit Isidorus Clarius. Atque ea placuit Françisco Vatablo, Sebastiano Castalioni, Belgis interpretibus, & compluribus aliis.

Munsterus Clarius Vatablus Castalio Belgæ ad h. l.

VIII. Hic vero sensus, quem eliciunt homines eruditi, nihil sani continet. Ascheris portionem æris atque ferri fodinis fœcundissimam fu-

futuram prædici volunt, in qua tamen nullæ aut æris aut ferri fodinæ fuerunt. Non mihi latet, quid pro horum sententia vir insignis Andræas Masius notarit: *Sed demus*, inquit, *de ferro & ære locutum Mosen esse. Sane id quoque sic cecidit. Nam, ut de Carmelo, Libano, Antilibano, aliis montibus nihil dicam, ad quos Aseritarum hæreditas pertinebat, quosque credibile est metalli venis abundavisse, certe Sarepta nomen à Metalli officinis habet.* Scilicet Carmelum, Libanum & Antilibanum metalli venis abundavisse putat Masius, qui montes pertinuerunt ad Ascheritarum hæreditatem, itemque Sareptam à conflando nomen habere, ut optime dictum sit Ascheris portionem æris & ferri fodinis futuram fœcundissimam. Sed in omnibus erravit vir præstantissimus. De Carmelo monte est illud quidem verisimum quod in eo fuerint æris fodinæ: Nam de Carmelo Hesychius: Κέρμηλος ἀφ' οὗ χαλκὸς γίνεται *Cermelus* (h. e. Carmelus) *unde æs gignitur.* Sed is non fuit in Ascheritarum portione. Asche-

Masius in Ios. 29. 31.

ris quidem regio ad Carmelum usque montem se extendit, sed is proprie pertinuit ad partem Issascharis. Ut licet Carmelum attingat à latere occidentali pars Ascheritarum, inde nequaquam dici possit in eorum regione ferri atque æris fodinas reperiri, cum Carmelus pertineat ad portionem Ischascharis. Quin ex Carmelo non tantum æris olim effossum fuit, ut inde dici possit *ex ære atque ferro esse calceamentum Ascheritarum*, h. e. eos calcare solum ferri atque æris fodinis abundantem. Ut taceam non constare an in Carmelo, licet æs gignatur, sint ferri venæ. De Libano & Antilibano, quos montes etiam recenset Masius, id quam maximè dubium est, an in iis unquam fuerint æris & ferri fodinæ. Equidem scio χαλκολίβανον *Chalcolibanum* multos putare τὸν χαλκὸν ἐν τῷ Λιβάνῳ ὄρει μεταλλευόμενον, *æs ex Libano monte effossum*, quæ sententia sectatores habet è veteribus complures, & nostro seculo magni nominis viros nonpaucos, qui æs è Libano monte olim effossum fuisse, etiam hac ratione pro-

probant, quod de tribu Aſer, quæ Libano proxima fuit, hic à Moſe dicatur: *ferrum & æs fore calceamentum ejus.* Sed horum rationibus optime reſpondit vir ſummus Samuel Bochartus, qui magnis argumentis addixit, χαλκολίβανον haudquaquam æs fuiſſe, ex Libano monte effoſſum. Videri poſſunt quæ de Chalcolibano prolixe diſputavit in mirando opere vir plane eximius, cui nihil viget par & ſecundum. Atque uti χαλκολίβανον nequaquam æs eſt ex Libano monte effoſſum, ita omnino incertum eſt an in ipſo Libano vel Antilibano æris & ferri fuerint fodinæ. Nam uti ὀ πάνυ Bochartus aſſerit, de ære Libanitico nihil apud veteres, nihil apud recentiores legas. Quod utique veriſimum eſt. Varia loca apud antiquos æris proventu celebrantur, at qui ex Libano referat æs effodi, homo nemo eſt. Quin nullas in Libano metalli venas fuiſſe id oſtendere videtur quod ex Theodoreto affert, qui de iis, qui Heliopoli erant ad Libani montis radices, refert, quod Τοῖς Φεννησίοις καὶ πυροκαυησίοις παρεδίδοντο μετάλλοις

Bochart. Hieroſ. p. 2. lib. 6. cap. 16.

Theodor. lib. 4. cap. 19.

ad Phænnesia & Proconnesia metalla damnabantur. Sane non inepte inde concludi potest, nullas in Libano fuisse æris fodinas, cum haudquaquam fuisset opus, ut illi, qui ad montis Libani radices erant, ad Phennesia vel Proconnesia metalla damnarentur, si quæ fuissent in ipso Libano metalli venæ, nisi quis respondeat eas illo tempore jam defeciisse. Quod *Sareptam* addit Masius *nomen à Metalli officinis habere* pariter incertum est, & si vè maximè à metallis diceretur, inde confici tamen non posset hæc eo in loco nasci, cum aliunde potuerint advehi & Sareptæ conflari. Atque hoc præclarè etiam respondit maximus Bochartus: *Jam quod supereſt Sareptam à conflando nomen habere, non est ullius momenti. Neque enim necesse est ab æris conflatura dictam Sareptam, cum æque potuerit à conflando vitro sic appellari, quam artem in iis locis natam esse nemo nescit. Et æs Sareptæ conflatum si quod fuit, tam potuit Temesæum esse ex Cypro quam Libanense.*

Bochart. loc. cit.

IX. Magnus nostri seculi Theologus Johannes Coccejus, post-

Cocc. in ult Mosis.

quam

quam notasset *addici ipsi firmitudinem portarum & obicum, ut non possint ulla vi perrumpi & refringi*, quem sensum hujus loci superius refutavimus, alios addit *calceamentum interpretari & referre ad verba quæ in eodem libro leguntur: Calceus tuus vetustate non fuit corruptus.* Deut. 29. 5 At *posse videri calceamentum ferro suppactum significare superationem difficultatum, ut qui in spinis & scrupis & muricibus ambulat.* Scil. vir magnus hoc de calceamento ferro suppacto sumit, quem significare putat superationem difficultatum. Eadem fere habet in Lexico Hebraico: Cocc. in Lex. Hebr. ad vocem מגעל *Sensus*, inquit, *dabo tibi ambulare in securitate, ut pedibus tuis nulla noxa accidat, quasi ferro & ære calceatus esses.*

X. Ab hac viri magni expositione cogimur etiam dissentire. Nihil dicimus de ea interpretum sententia, qui referunt ad illud quod in Deuteronomio legitur, de calceis qui vetustate non fuerunt consumpti: Id enim prorsus huc non facit. At quod vir magnus de calceamento ferro suppacto interpretatur, merito dubitamus an

admitti posſit. Caligas ferreis atque æneis clavis fuiſſe ſubpactas res eſt certa. An vero hic uſus antiquiſsimis temporibus inter Hebræos uſitatus fuerit neſcimus. Sed in uſu hominum calceamenta ferro ſuppacta fuiſſe extra militiam, non credimus. Roganti Nicobulo *diveſne eſſet iſtic Theotimus?* apud Plautum ſervus reſpondet,

Plaut. Bachid. Act. 2. Sc. 3. Vs 98.

— *Etiam rogas?*
Qui auro habeat ſoccis ſubpactum ſolum.

Scilicet luxus veterum divitum etiam in eo fuit, ut clavis argenteis vel aureis ſoleas ſuppingerent, uti jam dudum monuit vir incomparabilis Iſaacus Caſaubonus. At qui ferro vel ære haberet ſoccis ſubpactum ſolum, non credo facile oſtendi poſſe. Hoc vero neceſſe eſſet ut extra militiam habuerint veteres ferro ſuppacta calceamenta, ſiquidem ad ea alluſiſſet Moſes, cui calceus ferro ſuppactus ſignificaret ſuperationem difficultatum, aut quod ambularent in ſecuritate. Ne dicam de calceamento ferro ſuppacto exponi non

non posse. Equidem scio multos interpretes hæc verba reddidisse *ferrum & æs sub calceo tuo*, quomodo & Belgæ accuratissimi habent, *yser en koper sal onder uwen schoen zijn*: id vero genius Hebreæ linguæ non patitur. Etenim ם in מנעלך non est *sub*, sed ad ipsam vocem pertinet, unde optime LXX verterunt: Σίδηρος & χαλκὸς τὸ ὑπόδημα αὐτῆς ἔσται, & Vulgatus: *Ferrum & æs calceamentum ejus*: Quare de calceamento ferro suppacto intelligi non potest, sed de calceo vel ferreo vel æneo. Quondam ipse in ea fui sententia, de calceis ferro vel ære suppactis hæc verba capienda. Etenim putabam hic ad eum morem à Mose alludi, quo caligas æneis aut ferreis clavis suffixas atque munitas milites habebant. Est illud tritum, atque à variis animadversum, inprimis egregrie à viro doctissimo Julio Nigrono demonstratum, caligas Romanorum militum clavis multis fuisse munitas. Quos quidem clavos ferreos fuisse Plinius docet, à quo verba transcripsit Isidorus, qui disputans de vario ferri genere:

Nigr. diss. de caliga.

Plinius lib. 34. cap. 14.

Isid. orig. lib. 16. cap. 20.

Aliud

Aliud, inquit, *brevitate sola placet, claviſque caligariis*: Sed & æneos fuiſſe apud Nonium legimus, qui Lucilii verſum habet:

Fulmentas clavis æneis ſubcudere

Ex hoc more veterum interpretabar hæc verba *ferrum & æs ſub calceo tuo*, ut deſcriptio foret bellicoſorum hominum, quaſi prædicet Moſes, Aſcheris poſteros homines fore bello ſtrenuos, qui more militum calceis uterentur vel ferreis vel æneis clavis munitos. Sed præterquam, uti ſuperius monuimus, quod quam maxime incertum ſit, an is mos olim fuerit inter Hebræos, & jam ævo Moſis cognitus, illud inprimis me movet מ in מנעל non eſſe *ſub*, ſed ad vocem pertinere, Ut de calceis ferro ſuppactis capi non poſsit.

XI. Poſt tot interpretes, homines ſane doctiſsimos, qui plurimum contulerunt ad Sacrorum voluminum intellectum, liceat dicere, quid mihi viſum ſit perquam probabile. Obſervat vir ſummus Samuel Bochartus *vocem* מנעל

Bochart. Hieroſ. p. 2 lib. 6. c. 16.

quæ

quæ pro calceo *est*, *hac forma nusquam occurrere. Quin alibi* נעל *esse calceum.* Hoc utique verum est. Ubique נעל est *calceus*, מנעל hoc uno tantum loco occurrit. Licet vero *calceus* ubique נעל dicatur, nusquam מנעל, tamen eam vocem in *calcei* significatione sumendam arbitror. Vel sexcenta adhuc sunt loca apud Talmudicos, in quibus מנעל est *calceus*. Interpretor vero hic κνημῖδας sive *ocreas*, quas in præliis antiqui induebant. Solitos veteres, cum ad prælium irent, *ocreis*, quas κνημῖδας Græci vocant, quæque ex ære vel ferro conflatæ erant, munire pedes, vel ex uno Homero constat. Inter arma, quibus Heroas suos instruit, κνημῖδες ferè semper memorantur. Atque hoc armaturæ genus apud Græcos veteres fuisse frequentissimum vel ex eo epitheto discimus, quo Achæos vocat χαλκοκνημῖδας Ἀχαιούς. In Hesiodi Scuto cum aureo thorace induit Hercules κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινάς *ocreas ex orichalco splendido.*

Hes. Scut. ῾ς 122.

Ὡς εἰπὼν, κνημῖδας ἐρύσσατο χάλκεον φάος
εἶναι
Ἡφαίστου κλυτὰ δῶρα, περὶ κνήμῃσι θέσθαι
ἔθηκε.

Sic locutus, ocreas ex orichalco splendido Vulcani inclyta dona, tibiis induxit. Orientis quoque populos easdem gestasse cum prodirent in bellum ex Goliathi historia discimus. Inter arma, quibus instructus ante castra processit, etiam
1. Sam. 17. 6. recensetur מצחת נחשת על רגלו h. e. uti vertunt LXX. κνημῖδες χαλκαῖ, *ocreæ ferreæ*, ut Vulgatus habet. Vox Hebræa à *fronte* dicta est. Scilicet fuerunt laminę æneæ quibus & pedes & tibię muniebantur. Tales ocreas sive κνημῖδας vocem מגעל significare mihi omnino persuadeo, atque hæc verba, *ferrum & æs ocreæ tuę*, prædictionem continere, fore ut Ascheritæ sint homines bello strenui. Sane elegantissima est hæc allusio, qua Moses ex more veterum de Aschenitis dixit, *ferrum & æs fore ocreas ipsorum*, h. e. homines futuros bellicosos, qui æreas vel ferreas ocreas gestarent, pari ratione qua

Ho-

Homerus Achæis dedit epitheton χαλκοχνημῖδων Ἀχαιων. Quod quidem unicè hanc locutionem illustrat. Etenim uti Homerus, ut strenuorum hominum elogium Achæis daret, eos vocat χαλκοχνημῖδας Ἀχαιους, ita Moses de Ascheritis dicit, *ferrum & æs esse ocreas ipsorum.* Hunc sensum verba sequentia mihi demonstrare videntur, וכימיך דבאך. Sunt quidem quamplurimæ de his sententiæ, omnium tamen optime LXX. Interpretes reddiderunt, ὡς αἱ ἡμέραι σου, ἡ ἰσχύς σου, quos tum alii, tum viri eruditissimi qui in vernaculam linguam sacra volumina nuperius transtulerunt, sequuntur, qui hic habent, *ende uwe sterckte gelijk uwe dagen, & fortitudo tua ut dies tui.* Idem visum viro illustri Hugoni Grotio, qui *optimam esse interpretationem Græcam* pronuntiat. Consentit vir Hebraicè doctissimus Franciscus Vatablus: *Hebraismus*, inquit, *Quamdiu vixeris, eris fortis: vires tuæ tam diu durabunt, quamdiu vives.* Et sane pro *robore* atque *fortitudine* vocem דבא Chaldæus accepit, quam communiorem

Grotius ad h. l.

Vatablus ad h. l.

rem interpretationem esse R. David Kimchi testatur. Neque quidquam aptius & convenientius de Aschenitis dici potest, & cui magis respondit eventus, quam quod eo sensu, quem dedimus, prædixit Moses. *Maximam manssisse perpetuo barbarorum copiam in Galiæa gentium, quæ maxima fuit hæreditatis Aseritarum pars*, vir excellentis ingenii & doctrinę Andræas Masius notavit. Hoc vero minime interpretationem Masii confirmat, sed quam maxime pro nostra est. Etenim cum Aseritis certamen perpetuum esset futurum cum veteribus terræ incolis, à quibus continuis bellis vexarentur, inter cæteras benedictiones prædicit Moses, eos bello strenuos futuros, neque vires eorum atterendas esse.

Masius ad Ios. 19, 30. 31.

XII. Hæ ferreæ atque æreæ ocreæ in memoriam mihi revocant elegantissimum Curtii locum, quem mendo liberavi, quod omnes interpretes fugit. Prædicat Macedonum aciem, quod non auro, non discolori veste, sed ferro atque ære fulgeret. *Contra*, inquit,

Curtius lib. 3. cap. 3.

quit, *si quis aciem Macedonum intueretur, dispar acies erat: equis virisque non auro, non discolori veste sed ferro atque ære fulgentibus.* Securè præterierunt hunc locum Curtii commentatores, cum tamen mendum lateat in voce *acies*, quod ex ingrata atque tædiosa repetione deprehendi potest. Pro *acies* legendum *facies*: *Contra si quis aciem Macedonum intueretur, dispar facies erat.* De exercitu vocem *facies* eleganter usurpant Latini Scriptores. Tacitus: *Et militum phaleræ torquesque splendebant: decora facies & non Vitellio principe dignus exercitus.* Ipse Curtius: *Hæc dextri cornu facies erat.* Verbum *intueri*, quod præcedit, & ea quæ sequuntur: *Equis virisque non auro non discolori veste, sed ferro atque ære fulgentibus*, non tantum firmant conjecturam nostram, verum etiam judicium viri immortalis memoriæ NICOLAI HEINSII, quem & Parentis, viri maximi, & sua merita supra laudem omnem dudum extulerunt, & non ita pridem nobis ereptum, nunquam satis deplorare poterunt, quibus rei literariæ salus est cordi.

Tac. Ann. lib. 2. cap. 89.

Curt. lib. 4. cap. 13.

Nam

Nam cum ante octennium, licet admodum adoleſcens, etiam hanc conjecturam ad virum ſummum miſiſſem, pro ſingulari ſua humanitate, ad me datis literis reſpondit. *In Curtio ante hoc biennium idem mendum obſervavi peregrinatione Germanica, uti ex ſchedis meis liquebit tibi aliquando. Miror profecto tantillum mendum tot interpretum diligentiam tanto tempore fruſtrari potuiſſe.* Quod ipſum obſervatum viro illuſtri, cujus ſolertiam & acre judicium in deprehendendis fucatis & ſuppoſititiis, & ſingularem ſagacitatem in cognoſcendis & eruendis genuinis priſcorum Scriptorum lectionibus, nemo, niſi barbarus, ignorare poteſt, cum tot exſtent divina ingenii ipſius monumenta, perennitati ſeculorum conſecrata, quibus auctoribus melioribus, Poëtis præſertim, caſtigandis ac ſuo decori reſtituendis, tantum lucis attulit, ut uni Heinsio debeatur, quod Ovidium, Claudianum, Valerium Flaccum, & complures alios, innumeris mendis, quæ injuria temporum contraxerant, habeamus perpurgatos;

uti

uti summopere fui lætatus, ita non potui non cum laude referre, ut vel ex eo constet, me memoriam viri incomparabilis, quem vivum colui, sanctam servare.

CAPUT QUINTUM.

Pauli monitum, quo Christianos calceari vult ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης *Eph.* 6. 15. *Milite solim calceati. Caligæ* στρατιώτικον ὑπόδημα. *Locus* 1. *Reg.* 2. 5. *illustratur. Quid* ἑτοιμασία εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης? Ἑτοιμασίαν præparationem, promptitudinem *omnes reddunt. Variabli, Grotii, Cocceji, Zegeri, Belgarum diversa interpretationes. Ab omnibus dissensum* Ἑτοιμασίαν *neque* præparationem *vel* promptitudinem *hic significare, neque ea calceari velle Apostolum, vel ad propagandum Euangelium, vel confirmandum, vel annunciandum, variis rationibus ostenditur. Multa vocabula novas* signi-

significationes ex imitatione vocum Hebraicarum acceperunt. Ἑτοιμασία *apud Græcos interpretes novam significationem habet, &* basin, fundamentum *notat. Hac significatione usus est* Paulus. Ἑτοιμασία εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης *est* fundamentum Euangelii pacis. *Quam apte ita* Paulus *loquitur?* Fundamentum Euangelii *est firma & solida cognitio Euangelii.* Εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης *quare dicatur? Locus* Luc. 2. 14. *à solo Lichtfoto bene intellectus Error omnium vel in prava lectione vel distinctione. Græcorum verborum constructio evidenter ostensa. Quid* ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία? *Quomodo hæc sit* δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ? Εἰρήνη ἐπὶ γῆς *non ea pax est qua Augusti temporibus orbis fruebatur. Pacem Messias inter Judæos & gentes constituit.* Εἰρήνη reconcilia-

cilationem, veniam delictorum significat, ut שלים *apud Hebræos, & Latinis scriptoribus pax Dei vel Numinis. Hanc pacem Meßias adferret. Ejus causa* εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις.

I

PAulus, ut Christianos, quibus plurima imminebant pericula, non tantum à gentibus quæ nondum Christo dederant nomen, sed præcipuè à tentationibus Diaboli, cum illis non esset ἡ πάλη πρὸς αἷμα & σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τὰς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ad constantiam adhortaretur, ut non succum berent & malis vincerentur, voluit eos iis omnibus instructos, quibus & tutos se præstare, & vim illatam possent repellere. Διὰ τοῦτο, inquit, ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, & eleganti translatione à militia veterum, hominis Christiani

Eph. 6. 12.

vers. 13.

ani dona sub armorum, quæ in usu erant illis temporibus, emblemate describit. Arma varia dum recenset, etiam meminit calceorum, quibus pedes vult muniri. Καὶ ὑποδησάμενοι, inquit, τὰς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. Vs 15.

II. Inter arma, quibus instructum hominem Christianum vult Apostolus, optime calceorum mentionem facit, ut muniti sint pedes. Negant quidem Icti calceamenta armorum nomine contineri, uti notavit magnus noster Desiderius Erasmus: attamen veteres pedes calceis muniviſſe, multa ostendunt. Apud Plautum cum Stasimus pugnandi ornamenta pararet, statim de calceis est sollicitus. Erasm. ad h. l. Plaut. Trin. Act. 3. Sc. 2

— *Quid ego nunc agam?*
Nisi ut sarcinam constringam, & clypeum ad dorsum accommodem:
Fulmentas jubeam suppingi soccis: non sisti potest.
Video caculam militarem me futurum haud longius.

Milites caligati sunt, optime notavit vir illustris Hugo Grotius. Grot. ad h. l.

Sane

Sane nihil notius est quam olim milites caligas habuisse, quas στρατιωτικὸν ὑπόδημα Dio appellat: quod ipsum præter magnum Erasmum, Josephum Castalionem, Lævinum Torrentium, Claudium Salmasium, Benedictum Balduinum, Albertum Rubenium, & complures alios viros eruditissimos, peculiari dissertatione multis & magnis rationibus addixit Julius Nigronus. Ut non possim non vehementer mirari, virum clarissimum Johannem Michaelem Dilherrum se huic sententiæ opposuisse, & caligam Wolfgangi Lazii verbis explicasse, qui sic habet: *Caligæ paulo supra genua extentæ, braccis adligabantur, gregariorum quondam militum præcipuum genus vestimenti, quod hodie etiam aliqua ex parte manet: vulgo* een strumpff: præsertim cum nullum idoneum adferat argumentum, quo ea opinio, jam dudum explosa, & vel in ipso Lazio à Nigrono damnata, stabiliatur, eamque vel inspecta caligarum forma confundat, quam ex columna Trajani & arcu Constantini, & nummis Hadriani

Erasm. ad Marc. 6. 9. Castal. Dec. 2. Observ. cap. 4. Torrent. ad Suet. Aug. cap. 25. Salm. ad Treb. Pol. Galienum cap. 16. Bald. de Calc. Ant. cap. 13. Rub. de Re Vest. lib. 2. cap. 1. Dilher. Disp. Tom. 1. Disp. 3. § 6. Lazius lib. 8. de Rep. Rom. cap. 13.

driani inferius exhibemus. Quin caligam fuisse militum calceamentum quo semper utebantur, vel hinc intelligi potest, quod Latinæ linguæ auctores optimi caligam pro militia, seu militari professione, usurpent, ac militiam caligatam, & milites caligatos passim dicant, quod, præter Lævinum Torrentium, prolixe docuit Julius Nigronus. Apud Hebræos etiam milites calceamenta gestasse videre est ex loco quodam, qui in Regum libris legitur. Inter alia monita, quæ Rex David jam moriturus filio suo Salomoni dedit, etiam illud recensetur. *Tu quoque nosti quid fecerit mihi Joab filius Seruiæ, & quid fecerit duobus imperatoribus Israelis, Abner filio Ner, & Amasæ filio Jether, quos occidit: & effudit sanguinem belli in pace: & cruorem belli posuit in baltheo suo, qui erat circa lumbos ejus, & in calceamentis, quę erant in pedibus ejus.* Ubi notandum est, pro eo quod Latini dicerent *fœdavit sanguine manus*, vel ut apud Ovidium est,

Torrent. loc. cit. Nigr. de Caliga cap. 3.

1. Reg. 2. 5.

Ovid. lib. 6. Mesam.

——— *calido tellurem sanguine fœdat,*

Davi-

Davidem dixisse Joabum fœdasse gladium suum, quo accinctus erat, sanguine innocentum, & calceamenta, quæ in pedibus erant.

III. Hoc licet constet in militia veterum pedes caligis munitos fuisse, non tamen adeo exploratū est, quid sibi velit Paulus, cum Christianos calceari jubeat ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. Nulli enim mihi satisfaciunt interpretes, quos ad hunc locum consului. Vocem ἑτοιμασίαν, cum ab ἑτοιμάζω *præparo* dictam scirent, *præparationem*, *promptitudinem*, significare voluerunt, quæ quidem ejus est vulgaris apud Græcos notio. Ita vel *præparationem* vel *promptitudinem* vertunt Vulgatus, Erasmus, Beza, Coccejus, Belgæ, & omnes vernaculi interpretes. Sensum vero non eundem assignant homines eruditi. Vatablus. *Ut parati sitis ad Euangelium pacis annunciandum.* Vir illustrissimus Hugo Grotius. *Pedes significant quotidianas actiones, ut diximus ad Joh.* 13. 10. *Eæ non sordescent, si semper insistant cogitationibus exsequendi & propagandi Euangelii.* Magnus Coc-

Vatabl. ad h. l.

Grot. ad h. l.

Coccej. ad h. l.

cejus. Ἑτοιμασία εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης est promptitudo annuntiandi pacem. *Apud Apostolum multis in locis* εὐαγγέλιον *est* εὐαγγελισμὸς. *Eam promptitudinem comparat cum calceis vel ocreis: nempe ut quasi plana sit via ad eundum per totum mundum, quemadmodum ei qui ocreatus vel calceatus est, omnis via mollis & facilis est.*

Zeger. ad h. l.

Nicolaus Zegerus: *Calceati, inquit, per præparationem Euangelii pacis, ut parati sitis & ipsi per Euangelii iter incedere, & alios ad idem docendo præparare.*

Belgæ ad h. l.

Et, qui ab his omnibus abeunt Belgæ interpretes: *D. met altijt bereyt te zijn om het geloove te belijden, en rekenschap te geven van de hope die in uis, Rom. 10. 10. 1. Petr. 3. 15. want de schaamachtige of vreesachtige in dit stuk pleecht de Satan lichtelijk tot sware sonden te brengen.* Hoc est, *ut semper sitis parati ad confessionem fidei, & rationem reddendams spei, quæ in vobis est, Rom. 10. 10. 1. Petr. 3. 15. Nam verecundos aut timentes hac in re solet Satanas facile in magna peccata inducere,* Plura aliorum interpretamenta huc transcribere neque mihi vacat, neque aliis gratum foret.

IV. Ego

IV. Ego puto, & ἑτοιμασίαν hic minime notare *promptitudinem*, vel *præparationem*, & errare omnes in assignando hujus dicti sensu. Si ἑτοιμασία hic notaret *præparationem*, sive *promtitudinem*, non video quare voluerit hominem Christianum ea calceari Apostolus. Calceamenta apud veteres pedum quasi vincula & impedimenta sunt habita, quæ non tantum nihil conferre ad promptitudinem sed quam maxime obesse existimarunt. Ita Musonius Philosophus, cujus verba hæc sunt apud Stobæum. Καὶ γὰρ ὑποδεδέσθαι τὸ ἀνυποδετεῖν τῷ δυναμένῳ κρεῖττον. Κινδυνεύει γὰρ τὸ μὴ ὑποδεδέσθαι τῷ δεδέσθαι ἐγγὺς εἶναι. ἡ δὲ ἀνυποδησία πολλὴν ἀλυσίαν τινὰ ἔχει εὐχερεστέραν τοῖς ποσὶν παρέχει, ὅταν ἀσκημένοι ὦσι: *Nudis pedibus incedere ei qui potest melius est quam calceari. Videtur enim calceari propemodum esse quod vinciri. Sine calceis autẽ valde expediti & agiles sunt pedes, præsertim si adsit usus.* Quod ipsum confirmat Musonius tabellariorum & cursorum exemplo, qui excalceati sua munia obierunt, ut magis expediti essent atque agiles, quomodo & ex Athletis cur-

sores non eandem celeritatem servare asserit, si currere ipsos oporteat in calceis. Cum Musonio sentit Clemens Alexandrinus, inter Patres vir doctissimus. *Viro*, inquit, *quidem quam maxime convenit sine calceis esse, præterquam si militet. Calceari enim propemodum idem est quod vinciri. Optimum exercitationis genus est nudis uti pedibus, & ad sanitatem, & ad expeditam facilitatem.* Hinc etiam Lycurgus Lacedæmoniorum pueris pro calceorum usu pedum nuditatem præscripsit, ut expeditius acclivia conscenderent, & per declivia graderentur, ut Alexander ab Alexandro Neapolitanus refert. Tum quod dicunt homines eruditissimi ἑτοιμασίᾳ calceari hominem Christianum voluisse Apostolum, ad Euangelium pacis annunciandum, vel propagandum, vel confitendum & reddendam rationem, omnino præter Pauli mentem fingere videntur. Describit Apostolus πανοπλίαν τῦ Θεῦ, qua Christianos vult indui, πρὸς τὸ δύνασθαι στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τῦ διαβόλυ, vel ut possint ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, & ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι.

Clem. Alex. Pædag. lib. 2. cap. 11.

Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 5. cap 18.

Vs 11.

Vs 13.

In

In illa παντοπλία etiam monet, ut sint ὑποδησάμενοι τὰς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. Utique necesse est ut intelligamus voluisse Apostolum ἑτοιμασίαν εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης illi usui inservire, ut possint σφίγγειν. Eadem ratione qua olim calceos milites sumpserunt, ut firmius possent consistere, & caligę militum Romanorum clavis ferreis munitæ fuerunt, & Ætoli dextro pede in bellis calceati siniſtro nudi, ac propterea dicti μονοκρήπιδες: quod & ad Hernicos Italiæ populos transtulit Virgilius:

Virgil. 7. Æn.

—— Vestigia nuda siniſtri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.

Utrisque scilicet pedibus nudi fuissent Ætoli atque Hernici, nisi dextrum pedem, quem in congrediendo ante siniſtrum promovebant, perone muniendum censuissent, ut firmius consisterent, & hostibus suis possent resistere. Quid hoc commune habet cum eo quod dicunt viri eruditissmi, voluisse Apostolum ut Christiani calcearentur ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς

εἰρήνης, nempe ad propagandum Euangelium, vel reddendam rationem fidei? Utique Apostolus ἑτοιμασίᾳ calceari vult Christianos, non ad prędicandum Euangelium, aut confitendum, sed ut possint σῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τῦ διαβόλυ. Sane milites olim caligati non fuerunt, ut essent expeditiores, sed ut eo firmius possent consistere. Id enim si esset magis ad fugam, quam ad prælium fuissent instructi. Ut ἑτοιμασία εὐαγγελίυ τῆς εἰρήνης omnino sit aliud, & in alium finem ab Apostolo imperata, ac viri doctissimi monuerunt. Eleganter notatum est à viro eximio & optimo Theodoro Beza. *Præparatione, ἐν ἑτοιμασίᾳ. Vulgata*, In præparationem Euangelii pacis. *Erasmus*, Ut parati sitis ad Euangelium pacis. *Neuter (opinor) sensum Apostoli est assecutus. Non enim vult nos docere duntaxat oportere nos esse calceatos, sed calceos etiam (ut ita loquor) nobis præbet. Itaque sicut κνημιδας milites Græci, caligas Latini milites gerebant, ita ad ineundum prælium, & vitæ istius cursum inter medios hostes tenendum, vult Apostolus.*

Beza ad. h. l.

lus ut Euangelii pacis cognitione simus præparati. Optime animadvertit magnus interpres, non velle Paulum ut Christiani sint calceati *in præparationem Euangelii pacis*, vel ut *essent parati ad Euangelium pacis*, quod utique dicere debuisset si vera foret virorum doctissimorum explicatio, sed ipsa ἑτοιμασία ad ineundum prælium & firmius consistendum. Quare ἑτοιμασία neutiquam hic est *præparatio* sive *promptitudo*, & eum in finem ab Apostolo imperata, ut volunt homines eruditissimi, sed longe aliud notat. Quod, quia res meretur, paulo prolixius demonstrandum est.

V. Multa vocabula, origine Græca, vim ac significationem quandam recepisse quæ in vulgari lingua Græca non observatur, & ut novam significationem reciperent occasionem dedisse vocabula Hebraica, inter eruditos constat. Nimirum vocabulis Græcis novas significationes Hellenistæ tribuerunt, vel quod ad originem alluderent alicujus Hebrææ vocis quam vocabulo Græco reddere vellent: vel quod Hebrææ voces duplicem

aut multiplicem significationem haberent, hisque Græcæ voces illarum una responderent, unde etiam eam Græco vocabulo notionem indiderunt, quam habebat vox Hebræa. Factum hinc esse, ut apud sacros Novi Fœderis scriptores multa vocabula occurrant longe alia significatione, quam quæ obtinet in vulgari Græcorum lingua, cum ex usu istius ævi Græca vocabula nova illa significatione usurparent, quam acceperant ad imitationem vocum Hebraicarum, pariter est certissimum. Multa istiusmodi vir pereruditus & diligentissimus Johannes Vorstius collegit, & in classem Hebraismorum primam digessit.

Vorst. Phil. 5. p. 1. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

VI. His vocabulis, quæ vir doctissimus Johannes Vorstius observavit, vox ἑτοιμασία adjicienda est, quæ occasione vocis Hebraicæ, cui primaria sua significatione respondebat, novam est induere jussa, quam non obtinet in Græcorum lingua. כון apud Hebræos est *parare*, *præparare*, & huic verbo apud Græcos τὸ ἑτοιμάζειν respondet. Sed idem verbum etiam significat

ficat *firmare*, *ſtabilire*. Factum hinc eſt ut Græci interpretes verbo ἑτοιμάζειν tribuerint novam ſignificationem, qua etiam *firmare*, *ſtabilire* notat. Apud Samuelem, ubi in Hebræo eſt: *Nam alioqui ſtabiliviſſet regnum tuum Iehova*, Græci interpretes habent: ὡς νῦν ἡτοίμασε κύριος τὴν βασιλείαν σου. Pariter ubi Hebræa verba ſunt: והכינתי את ממלכתו Græci interpretes reddunt: καὶ ἑτοιμάζω τὴν βασιλείαν αὐτοῦ. Quomodo & illud in Pſalmis מכין *firmans montes viribus ſuis*, vertunt, ἑτοιμάζων ὄρη ἐν τῇ ἰσχύϊ σου, itemque illud *Iehova in cœlis ſtabilivit* הכין *thronum ſuum*, Κύριος ἐν τῷ οὐρανῷ ἡτοίμασε τὸν θρόνον αὐτοῦ. A verbo כון eſt vox מכון quæ *baſin*, *fundamentum* notat. Ad eam exprimendam etiam uſi ſunt Græci interpretes voce ἑτοιμασία. Nimirum cum in ſenſu *firmandi* atque *ſtabiliendi* verbum ἑτοιμάζειν uſurpaſſent, quod cum Hebræo verbo הכין in alia ſignificatione, *parandi*, *præparandi* conveniebat, etiam vocem ἑτοιμασίαν adhibuerunt, ut verterent vocabulum מכון, quod *baſin*, atque *fundamentum* denotat.

1. Sam. 13. 13.

2. Sam. 7. 12.

Pſ. 65. 7.

Pſ. 103. 19.

Cujus notionis non unum exem-
Ezr. 2. 68. plum adferri poteſt. In Ezræ li-
bro quorundam fit mentio, qui
ſponte ſua Hieroſolymam vene-
runt, ut Dei domum, ſive tem-
plum, *conſtituerent* על מכונו *ſuper baſi ſua.* At Græci interpretes
hic habent: τῇ ἡσσῃ αὐτὸν ἐπὶ τὴν
ἑτοιμασίαν αὐτῆς. Neque multo poſt
Ezr. 3. 3. ubi de altari legimus: ויכינו המזבח
על מכנותו *& ſtatuerunt altare ſuper baſi ſua*, reddiderunt: Καὶ ἡτοίμα-
σαν τὸ θυσιαστήριον ἐπὶ τὴν ἑτοιμασίαν
Pſ. 89. 15. αὐτῆς. Pariter quod in Pſalmis eſt
צדק ומשפט מכון כסאך *juſtitia & judi-
cium baſis ſolii tui*, verterunt:
Δικαιοσύνη καὶ κρίμα ἑτοιμασία τῆς
θρόνου σου. Utrumque occurrit in
Zach. 3. 11. hoc Zachariæ loco, in quo &
ἑτοιμάζειν pro הכין, & ἑτοιμασίαν
pro מכון Græci interpretes adhi-
buerunt. *Et dixit mihi ut ædifi-
cent ei domum in terra Sinear,*
והוכן והניחה שם על מכנתה *& ſtatu-
ant, & ſtabiliant in baſi ſua.* Ita
enim reddiderunt: Καὶ εἶπε πρὸς μὲ
Οἰκοδομῆσαι αὐτῷ οἰκίαν ἐν γῇ Βαβυ-
λῶνος, καὶ ἑτοιμάσαι, καὶ θήσουσιν αὐ-
τὸ ἐκεῖ ἐπὶ τὴν ἑτοιμασίαν αὐτῆς.
Clariſſime oſtendunt allata hæc
ex-

exempla Græcos interpretes vocem ἑτοιμασίαν usurpasse, ut exprimerent Hebræam מכון, quia uti vox מכון a כון quod *parare* atque *præparare* significat deducta est, ita vox ἑτοιμασία ab ἑτοιμάζω descendit, quod verbum pariter notat *præparare*. Unde novam hanc significationem huic voci tribuerunt quemadmodum multis verbis & vocibus novas significationes ad imitationem vocum Hebraicarum indiderunt, quales jam dudum viri doctissimi animadverterunt, & observari possunt ab iis, qui in eorum lectione versati sunt.

VII. Hac significatione, quæ trita est apud Græcos interpretes, puto Paulum voce ἑτοιμασίᾳ usum, non vero ea, quam habet in vulgari Græcorum lingua. Ἑτοιμασία ex iis vocabulis est, quæ apud sacros Novi Fœderis scriptores semel tantum exstant, ut ex aliis locis ejus significatio non possit indagari. Sed ad Græcos interpretes recurrendum est, apud quos ea vox est in usu frequentiori. Nimirum Paulus horum exemplo vocem ἑτοιμασίαν eo significatu sump-

sumpsit, qui jam obtinebat apud Græcos interpretes & Judeos Helleniſtas, qui non communi Græcorum lingua, ſed ad Hebraicam deflexa, & multis Hebraiſmis abundante utebantur, ut nempe *baſin* atque *fundamentum* ſignificet. Quod & alias ab ipſo factum eſt, uti plurima vocabula iis ſignificationibus à Sacris Novi Fœderis ſcriptoribus uſitata ſunt, quæ apud Græcos interpretes erant in uſu, licet iis notionibus in Græcorum vulgari lingua non occurrerent. Quare Pauli verba vertenda ſunt, *calceati pedes fundamento*, ſive *baſi Euangelii pacis*, quod Belgæ mei dicerent: *De voeten geſchoeyt hebbende met den vaſten gront van het Euangelium des vredes.*

VIII. Quam apte, & quam concinne hoc à Paulo dictum fuerit, nemo non videt. Deſcribit παναπλίαν τῦ Θεῦ, qua inſtructi poſſent ἀνθιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. Vult ut ſint ἐζωσμένοι τὴν ὀσφὺν ἐν ἀληθείᾳ. ut videlicet quod zona fuit in militia veterum, ipſis eſſet veritas, & ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δι-

δικαιοσύνης, ut, quod thorax fuit, ipsis esset justitia, quam induerent ut loricam. Sequi debebat ὑποδησάμενοι κνημίδας τῆς εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. Et ita Chrysostomus κνημῖδας dicit. Sed eleganter subjicit Apostolus, ὑποδησάμενοι τὰς ποδὰς ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, *& calceati pedes fundamento Euangelii pacis*, in quo nempe tuto possint consistere. Quomodo subjungit θυρεὸν τῆς πίστεως, περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου, & μάχαιραν τοῦ πνεύματος. Ἑτοιμασία εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης *fundamentum Euangelii pacis*, est firma atque solida cognitio Euangelii. Nemo id melius vidit quam vir optimus & doctissimus Theodorus Beza. *Itaque sicut* κνημῖδας *milites Græci, caligas Latini milites gerebant, ita ad ineundum prælium, & vitæ istius cursum inter medios hostes tenendum, vult Apostolus ut Euangelii pacis cognitione simus præparati.* Recte *Euangelii pacis cognitione* dixit vir eximius: Id enim omnino est ἑτοιμασία εὐαγγελίου, *fundamentum Euangelii*, quo eos calceari voluit Apostolus, firma nempe atque solida cognitio Euangelii, cui tuto in-

Beza ad h. l.

insistere atque niti potest homo Christianus. Illud sane quam maxime requiritur ut homo Christianus solida cognitione Euangelii sit instructus, cui tuto insistat ne vacillet. Necesse enim est munitum atque confirmatum esse cognitione doctrinæ, & habere fundamentum. Hoc enim qui caret, omni quasi vento impelli potest, neque ἀντισῆναι valet ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, aut ἅπαντα κατεργασάμενον στῆναι. Qui vero habet est τεθεμελιωμένος & ἑδραῖος & μὴ μετακινούμενος ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ εὐαγγελίου, *fundatus & firmus, & non dimotus à spe Euangelii*, quod Colossenses monet.

Coloss. 1. 23.

IX. Licet vero non intellexisse videantur interpretes quid sit ἑτοιμασία τοῦ εὐαγγελίου, tamen optime explicarunt quare Euangelium vocetur εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης: Quia nempe annunciat, quomodo pax facta sit per Christum inter Deum & homines, ita ut non tantum inimicitia, quæ olim fuit, cum Deus gentes à se abalienaverat, sublata sit Sanguine Christi, qui

Ephes. 2. 17.

ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην τοῖς μακρὰν, & τοῖς ἐγγύς, & Deum *non tantum*

Ju-

Judæorum, sed & gentium deum esse, verum etiam Deus sit ὡν χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, adeo ut δικαιωθέντες ἐκ πίστεως, εἰρήνην ἔχωμεν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ. Quod ipsum angeli prædicant qui natum esse Christum Pastoribus Bethlemiticis annunciates, Deum laudant, dicentes: Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Quem locum quidem ideo adduxi; ut aliqua luce perfunderem. Etenim licet sit tritissimus, & tot hominum eruditissimorum commentariis tentatus, tamen est obscurissimus, & potius tenebras offudisse, quam eum illustrasse tam veteres quam recentiores interpretes videntur. Inter omnes qui hunc locum explicare conati sunt, solus mihi visus est Johannes Lichtfotus genuinum sensum deprehendisse, cujus hæc brevis est nota. *Hymnum hunc Angelicum optime intelligas, si* εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις, *pro subjecto ponatur, & reliqua verba pro prædicato:* Benevolentia Dei erga homines est gloria illi in altissimis, & pax in terris.

Rom. 3. 29

2. Cor. 5. 19.

Rom. 5. 1.

Luc. 2. 14.

Lichtf. Hor. Hebr. in Luc. 2. 14.

terris. ℭ *interponitur inter* Δόξα *&* Εἰρήνη, *non inter eas &* εὐδοκία. Quæ quidem recte à viro doctiſſimo animadverſa puto, cum hæc ſit unica & ſola ratio, qua verus iſtius dicti ſenſus elici poſsit. Quod ut omnibus pateat, paulo accuratius libet oſtendere.

X. Ab omni tempore hæc verba exercuerunt eruditiſsimorum hominum ingenia, & diverſo modo vel lecta vel diſtincta ſunt. Pro εὐδοκίας Vulgatus interpres εὐδοκίας legit, & vertit *hominibus bonæ voluntatis*, cui alicubi Chryſoſthomus & Origines favent. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus, ℭ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίαν legit. Andræas Oſiander Theologus Noribergenſis, ex cujus Annotationibus in Harmoniam Euangelicam prolixum locum adduxit vir diligentiſsimus Abrahamus Scultetus, *eos codices qui habent* ἐν ἀνθρώποις *eſſe mendoſos* putat. Diſtinguunt alii in duo, alii in tria membra. Subaudiunt alii ἔστω alii ἐστὶ, & ℭ pro γὰρ accipiunt. De quibus omnibus hoc tantum dicam: Eos qui aliter legunt, ad id inductos eſſe non codicum diſcre-

Chryſoſt. in Serm. de Nativ. Dom.
Orig. Hom. in Lucam 13.
Baſil. Orat. de Annunc. Mariæ.
Scult. Exerc. Euang. lib. 1. cap. 50.

ſcrepantia, qui conſtanter habent vulgatam lectionem, ſed quia hæc verba non intelligebant: Eos vero qui tam diverſe diſtinguunt non attendiſſe ad verborum ordinem, qui in Græco eſt, & male καὶ pro γὰρ accipere, cum, licet illa particula aliquando γὰρ notet, nulla ratio perſuadere poſsit hic in medio ſententiæ γὰρ notare, quæ requirere videtur ut καὶ ſignificet. Ex omnibus iſtis tricis & difficultatibus nos facile expediemus, ſi ad verba Græca accuratius attendamus. Ea ſunt: δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Illud obſervandum eſt καὶ ſecundo loco poni, non ultimo: Neque enim legimus δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, ἐπὶ γῆς εἰρήνη, καὶ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, ſed δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη. Hoc utique oſtendere poteſt hæc duo membra nequaquam diſtinguenda ſed conjungenda eſſe. Nihil enim aliud καὶ eſt, quam quod primario eſt, conjunctio copulativa, quæ hæc duo membra conjungit, δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη. Unde ſequi neceſſe eſt, verba quæ ſubjunguntur

tur ἐν ἀνθρώποις εὐδοκιά, nequaquam aut explicationis gratia addita, aut cum prioribus conjungenda, sed seorsim spectanda esse. Neminem latere puto sæpissime id ipsum de quo quid dicitur, quod subjectum vulgo vocant, posteriori loco poni, & illud quod de eo dicitur, quod prædicatum appellant, priori. Vel in illo tritissimo, *Nobilitas sola est atque unica virtus*, quis nescit verba ita construenda, ut sensus sit *Virtutem esse solam & unicam nobilitatem.* Quam facile jam invenimus horum verborum constructionem, in qua tamen tam diu se torserunt omnes interpretes? Dicunt Angeli, quod ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία sit δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, & ἐπὶ γῆς εἰρήνη. Quare hæc verba non alia ratione vertenda sunt, quam *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax*, est *in hominibus beneplacitum*, hoc est, Dei beneplacitum in hominibus, quod ostendit nativitate τῦ σωτῆρ@, est ejus gloria in altissimis, & pax in terra. Unde etiam constat, quid sit εὐδοκία, & quomodo ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, sit δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ & ἐπὶ γῆς εἰρήνη, quæ omnia

varie

varie exponunt viri eruditissimi.

XI. Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, nihil aliud est quam Dei beneplacitum ad hominum salutem. Est hæc Dei erga homines propensa voluntas, ut non omnes à sua communione velit excluſos, sed quosdam æternam salutem corsequi. Hinc προώρισε ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτὸν, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Hanc εὐδοκίαν quidem statim hominibus indicavit post admissum peccatum, & patribus tum per sacrificia & multas alias umbras legales, tum per Prophetas confirmavit, exhibere vero cæpit cum Christus nasceretur. Hoc enim signum erat certissimum τοῦ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας, quia jam in mundo is nascebatur, qui perficeret opus salutis. Quare & Jesaias cum describeret felicia tempora, quæ per Messiæ adventum hominibus illucerent, ipsum loquentem introducit. *Spiritus domini Jehovæ super me est, quia Jehova me unxit, ad Euangelium nunciandum mansuetis, misit me ad obligandum confractos corde, ad prædicandum abductis in captivitatem liber-*

Ephes. 1. 5.

Iesa. 61. 1. 2.

bertatem, & vinctis acutum visum. Ad prædicandum annum beneplaciti, Jehovæ.

XII. Hanc ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίαν Angeli prędicant esse δόξαν ἐν ὑψίστοις Θεῷ, h. e. Deum in cœlis propter tam propensam ergo homines voluntatem celebrari. Optime monuerunt viri eruditissimi, hæc verba non ita capienda esse, ut significent, *Gloria Deo qui est in cœlis*, quasi scriptum esset τῷ ἐν ὑψίστοις, sed *gloria in cœlis Deo*, ut notent Deum in cœlis celebrari. Etenim ἀνθρώποις terræ id sat luculenter ostendit. In cœlo autem propter ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίαν Deo gloriam dant non Angeli tantum, verum etiam πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων. Vide quam divine id Johanni ostendatur in sua Apocalypsi, qui, ubi agnus veluti mactatus librum septem sigillis clausum accepisset, vidit quatuor animalia, & viginti quatuor presbyteros procidentes coram agno, & canentes canticum novum, in quo Deo qui in Throno sedebat, & agno, dabant honorem & gloriam propter τὴν εὐδοκίαν, quæ causa fuit perficiendæ salutis.

Beza ad h. l. & alii.

Hebr. 12: 23.

Apoc. 5. 9. 10. 13.

XIII. Ad-

XIII. Addunt Angeli etiam esse ἐπὶ γῆς εἰρήνην. Eo tempore quo Christus natus est, altissima pace genus humanum fruebatur. Resederant omnes bellorum motus, quibus quassatus paulo ante fuerat universus propemodum orbis, & Jani templum obseraverat Augustus. Florus: *Sic ubique una* (ita pro *cuncta* rectissime conjecit vir ingenio & judicio magnus Johannes Georgius Grævius, qui nobis Florum, detersis non paucis maculis, ingeniosis & perquam eruditis suis animadversionibus illustratum non ita pridem dedit) *atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Aususque tandem Cæsar Augustus septingentesimo ab urbe condita anno Janum Geminum cludere, bis ante se clusum, sub Numa rege, & victa primum Carthagine.* Livius de Jano loquens. *Bis deinde post Numæ tempora clausus fuit, semel T. Manlio Cos. post Punicum primum perfectum bellum, iterum (Quod nostræ ætati Dii dederunt ut videremus) post bellum Actiacum ab Imperatore Cæsare Augusto, pace terra marique parta.* Suetonius. *Janum Quirinum semel atque*

Flor. lib. 4. cap. 12. & ibid. Græv.

Liv. lib. 1.

Suet. in Aug. cap. 22.

atque iterum à condita urbe, memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter cluſit. Plura ad hunc locum viri longe eruditiſsimi Iſacus Caſaubonus & Lævinus Torrentius notarunt. Et quidem inter alia Iſacus Caſaubonus inſcriptionem habet, quæ Emeritæ in Hiſpania, cujus initium. IMP. CAES. DIVI. F. AUGUSTUS. PON. MAX. COS. XI. TRIBUNIC. POTEST. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. IANI. CLUSO. Quæ integra videri poteſt in Theſauro antiquarum inſcriptionum V. CL. Jani Gruteri. Lævinus vero Torrentius exhibet Auguſti & Neronis nummos, in quorum parte altera Templum Jani clauſum conſpicitur, cum hac inſcriptione. IAN. CLU. & PACE. P.R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANUM. CLUSIT. Hanc vero pacem mihi neutiquam videntur Angeli celebrare, licet in hunc ſenſum etiam hoc dictum trahat vir magnæ dignitatis ingenii & doctrinæ Petrus Daniel Hue-

Grut. Inſcript. pag. 149.

Huetius. Neque enim pacem illam celebrant qua terra frueba- Huet. Demonstr. Euang. Prop. 9. cap. 8.
tur, quia resederant omnes bellorum motus, sed cujus causa erat εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις. Quæ sane longe alia pax est, non temporaria, sed æterna, non terrestris, sed cælestis, non quam Messias cum nasceretur inveniebat, sed quam ipse humano generi esset allaturus.

XIV. Pacem Messias inter Judæos & gentes constitueret. Singulari Dei Oeconomia nulla pax quondam fuit inter gentes & Judæos. Hos enim Deus sibi elegit tanquam hæreditatem, & ἐν ταῖς Act. 14. 16.
παρωχημέναις γενεαῖς εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. Initium istius consilii jam apparuit in familia Noachi, cum Chamus & ejus filius Canaan execratione Prophetica Noachi à Dei fœdere sunt Gen. 9. 25.
excluſi. Phalegi temporibus, cum linguæ confunderentur, plures alii populi ab Ecclesia Dei remoti sunt. Præcipue vero, cum fœdus suum cum Abrahamo Deus erigeret, exstrui cæpit τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγ- Eph. 2. 14.
μοῦ, quod post quatuor secula perfectum est, cum reliquiis fidelium,

quæ huc illuc adhuc fuerant dispersæ, extinctis, populum Israeliticum Palæstinæ terminis includeret, & ex ea gente sibi erigeret Rempublicam, quæ in terris foret sanctissima. Post ea tempora nulla pax fuit inter Judæos & gentiles,

Eph. 2. 12. qui ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ fuerunt ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας. Inter fructus, quos Messias hominibus afferret, etiam esset conjunctio gentium & Iudæorum. Etenim in

Gen 22. 15 18. & alibi. *semine Abrahami benedicendæ erant omnes gentes terræ.* Quo faciunt tot Prophetarum oracula, quæ vocationem gentium prænuntiant, quæ coacervare hic non est nostrum. Vel unus Zachariæ locus

Zach. 9. 9. 10. id ostendit: *Exulta, filia Zion, jubila, filia Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus & salvator, & ascendens super asinam, & super pullum filiæ asinæ:* quid subjungitur? *& loquetur pacem gentibus.* Quod impletum esse ex hoc illustri apud Paulum loco discimus: Αὐτὸς γάρ

Eph. 2. 14. 15. 16. 17. ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας, τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ τὸν νό-

τὸμθν τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας. ἵνα τὸς δύο κτίσῃ ἐν ἑαυτῷ εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον, ποιῶν εἰρήνην, καὶ ἀποκαταλλάξῃ τὸς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ Θεῷ διὰ τοῦ σταυροῦ, ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ καὶ εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν καὶ τοῖς ἐγγύς. Hoc ſane magnum eſt, terræ eam pacem per Meſsiam adferri. Inde enim factum eſt ut Deus non *tantum Deus ſit Judæorum, verum etiam gentium*, & nunc nullum diſcrimen ſit *inter Judæos & Græcos, ſervos & liberos, virum & fœminam, ſed omnes unum ſint in Chriſto Ieſu.* Hæc pax licet inter beneficia Meſsiæ collocanda ſit, tamen majus quid ad huc atq; illuſtrius intelligendum eſt cum Angeli dicunt καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη.

Rom. 3. 29

Gal. 3. 28.

XV. Εἰρήνη Hebræorum more interdum reconciliationem, expiationem, veniam delictorum & reditum in gratiam ſignificat. Hinc illud Pauli eſt: Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως, εἰρήνην ἔχωμεν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. &, οὐ γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις, ἀλλὰ δικαιοσύνη, καὶ εἰρήνη. Hinc ſolemnis illa Apoſtolorum εὐλογία, εἰ-

Rom. 5. 1.

Rom. 14. 17.

εἰρήνη ὑμῖν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, h. e. Deus sit vobis propitius. Unde & ipse Deus ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης dicitur, qui veniam vult dare delictorum. Nihil notius quam apud Hebræos vocem שלום eadem significatione usitatam esse. In Deuteronomio dicit impius שלום יהיה לי *pax mihi erit*, hoc est Deum habebo propitium, à Deo veniam accipiam delictorum: sequitur vero לא יאבה יהוה *non condonabit Jehova*. Apud Jesaiam *Excandescentia non est mihi*, ipse Jehova dicit, *quis mihi sentem aut veprem faceret in bello, ut transirem ad illum, & comburerem, aut apprehendet arcem meam* יעשה שלום לי שלום יעשה לי *fecerit pacem mecum, pacem fecerit mecum*. h. e. me pacatum habebit, & ex hoste amicum. Latinis etiam scriptoribus pax Dei vel Numinis sæpe significat reconciliationem, veniam delictorum. Plautus.

Deut. 29. 19. 20.

Jes. 27. 4. 5.

Plaut. Curcul. Act. 2. Sc. 2.

— *pacem ab Æsculapio*
Petas, ne forte tibi eveniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum 'st.

Hoc est, places Æsculapium. Idem.

Apollo;

Apollo, quæso te, ut des pacem propitius, Salutem & sanitatem nostræ familiæ, Meoque ut parcas gnato pace propitius. Mercat. Act. 4. Sc. 1.

Cicero: *Ab Iove Optimo Maximo cæterisque diis deabusque immortalibus pacem ac veniam peto.* Livius. *Pacis Deum exposcendæ causa lectisternium fit.* Idem. *Namque opem ægris corporibus relictam, si pax & venia à Diis immortalibus impetrata esset.* Virgilius. Cic. pro. Rabir. Liv. lib. 6. & 7.

—— Tu munera supplex
Tende petens pacem——— Virg. Geotg. 4 in fine.

Nam ibi de concilianda ira deorum agitur, & victimæ cæduntur. Idem.

Sed votis precibusque jubent exposcere pacem. Æn. 3.

Verum hoc notum est, & etiam ab aliis observatum. Talem pacem Angeli celebrant, qua Deus cum hominibus conciliaretur, & ipsis veniam delictorum daret propitius. Constat satis, post admissum à primo parente nostro peccatum, justum peccati vindicem Deum ira exarsisse ob perpetratum scelus,

ac ruptam esse pacem & amicitiam qua homo tamdiu gaudebat, quamdiu divinæ legi pareret. Constat etiã Deum habuisse εὐδοκίαν ἐν ἀνθρώποις, qua noluit omnes in perpetuum esse miseros, sed cum quibusdam in gratiam redire. Hinc sumpsit עצת שלום

Zach. 6. 13. *Consilium pacis*, uti apud Zachariam est. In eo erat

2. Cor. 5. 19. ὡς θεὸς ἦν κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν. Nimirum Christus Deum cum hominibus conciliaret, & pacem, quæ per peccatum à terra exulabat, reduceret. Hinc Prophetæ inter alia beneficia, quæ generi humano per ipsum contingerent, præcipue *pacem* celebrant: Ita in Psalmis legimus.

Ps. 72. 3. *Montes populo pacem adducent, etiam colles justitiam*, & paulo inferius *in diebus ejus orietur justitia, & abundantia pacis, donec luna non sit amplius.*

Iel. 9. 7. Apud Jesaiam in celebri illo oracolo: *Puer natus est nobis* &c. additur: *Magnitudinis imperii & pacis non erit finis.*

Ezech. 34. 24. Pariter apud Ezechielem: *Et ego Iehova ero ipsis in Deum, & servus meus David erit Rex in medio eorum & faciam cum eis pactum pacis.* Notum

tum etiam est Michæ vaticinium *& tu Bethlehem* &c. in quo Propheta canit: *Et hic erit pax.* De hac pace Christus ipse suis Apostolis dixit. Εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν. Quomodo & Paulus de ea locutus est in Epistola ad Romanos, quæ loca superius adduximus, & Euangelium vocavit εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης. Obscurum jam non esse potest qualem pacem celebrent Angeli, & quare dicant ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίαν, esse ἐπὶ γῆς εἰρήνην, nimirum quoniam fluxit ex illa εὐδοκίᾳ, qua Deus humano generi voluit esse propitius. Hæc mea de hoc obscuro & intricato loco sententia, quam possunt alii perpendere diligentius.

Mich. 3. 11. & 5.

Ioh. 14 27.

Caput Sextum.

Calceorum varia & multiplex forma. Apud Hebræos qualis fuerit incertum. Soleas tantum in usu apud veteres Hebræos fuisse conjicitur. Soleæ antiquissimum calceamenti genus. Prisca apud Græcos & Romanos calceamentorum nomina soleas notant. σανδάλιον, ὑποδήμα, calceus. Vox Hebræa נעל soleam significat. Ita reddunt veteres interpretes. סנדל vel כנרלא apud Ionathanem & in Targum Hieros. σανδάλιον, solea. Pariter ὑποδήμα apud LXX. interpretes, & caliga apud Vulgatum. Caliga optime exhibet figuram solearum quas Hebræi gestarunt. Mos Hebræorum pedes hospitum lavandi inde natus quod soleis uterentur. Κονίποδες calceamenti genus. Calceos cavos usitatos fuisse frustra concluditur ex calceis

ceis Gibeonitarum. Item ex eo quod habuerint calceos rubros sive coccineos. Hebræi veteres tibiatim calcearunt. Apud veteres soleæ ad crus corrigias extenderunt. Cothurni, campagi, caligæ, soleæ. A Ferrario dissensum. Aliis orientis populis idem usitatum. Soleæ rubræ vel coccineæ dictæ a corrigiis, quæ ad suras perveniebant. Calceos cavos apud Hebræos usitatos colligunt eruditi quod ὑποδήματα tanquam à σανδαλίοις distincta in Euangelica Historia memorantur Matth. 10. 10. & Marc. 6. 9. Salmasii, Balduini, Lichtfoti sententia. Ab ea dissensum. Calceus sine toga non sumebatur. Judæi tunicis usi. Nullo discrimine ὑποδήματα & σανδάλια usurpantur. Alia Matthæum cum Marco conciliandi ratio. Mendum è vulgatis Matthæi codicibus sublatum. Non ὑπο-

δήματα sed δύο ὑποδήματα vetat Christus. Lichtfoti rationibus fit satis.

I.

Sicuti hac nostra tempestate calceorum varia & multiplex est forma, pro civitatum atque regionum discrimine, pro diverso hominum sexu & dignitate, pro vario usu, ita olim etiam fuit. Ne de barbaris nationibus, aut Græcis politioribus hic dicam, vel apud Romanos quam diversa fuit calceorum forma? Præter duo præcipua genera *calceum* & *soleam*, quorum ille totum pedem, hæc plantam tantum tegebat, in usu fuerunt *caligæ*, *gallicæ*, *crepidæ*, *cothurni*, *socci*, *perones*, de quibus accurate egerunt homines eruditi, qui in antiquitatibus ipsorum illustrandis elaborarunt, Adrianus * Turnebus, Petrus Victorius, Jacobus Revardus, Justus Lipsius, Benedictus Balduinus, Julius Nigronus, Albertus Rubenius, Octavius Ferrarius, & complures alii.

* Turn. Adv. l. 28. c. 21. & lib 29. c. 8. Victor. Var. Lect. l. 14. c. 15. Rav. Var. l. 1. c. 8. Lipſ. Elect. l. 1. c. 13. Bald de Calc. Ant. c. 7. & seq. Nigron. in Diſſert. de Calig. Rub de Reveſt. lib. 2. c. 1. & seq. Fer. Anal. c. 31. & seq.

II. Apud Hebræos veteres qualis calceorum forma fuerit non adeo

adeo certũ est. Nihil enim occurrit in sacris monumentis de forma calceorum, atque unicam vocem tantum habent Hebræi, qua calceũ vocant. Hæc vero quale designet calceamenti genus non adeo constat, cum variè reddant veteres interpretes. Hebræo נעל maxime apud Jonathanem in Legem, & in Targum Hierosolymitano respondet סנדל vel סנדלא σανδάλιον *sandalium*. LXX. Interpretes modo ὑπόδημα modo σανδάλιον vertunt, quomodo Vulgatus modo *calceamentum*, modo *caligas* habet. Nos vero putamus non inanibus conjecturis adstrui posse *calceos* Hebræorum *soleas* fuisse, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cum cætera prope nuda & teretibus habenis juncta sint, uti *soleas* Agellius describit. Agel. lib. 13. cap. 20.

III. Ut simplicissimum & ab omni ambitu quam maxime remotum, ita antiquissimum calceamenti genus fuisse soleæ videntur. Prisci mortales, ut contra sentium & lapillorum & aliarum asperitatum injurias pedes munirent, ex corio bubulo, vel aliorum animalium pellibus

particulas quasdam plantis subligarunt, unde natæ sunt soleæ, quæ à vetustissimis temporibus usitatæ fuerunt. Cujus rei hoc argumentum habemus, quod omnia prisca, quibus pedum tegumenta appellantur, vocabula, *soleas* notent à prima origine. Duo sunt præcipua apud Græcos nomina, quibus *calceum* vocant, σανδάλιον & ὑποδήματα. Et quidem σανδάλιον nihil aliud esse quam *soleam*, atque apud priscos Græcos tantum pedum plantas muniviſſe, præter usum frequentem, qua pro *solea* usurpatur, ex eo videre est, quod insula Sardinia olim *Sandoliotis* dicta sit, quomodo à plantæ pedis figura *Ichnusa* appellata fuit, quia ut Claudianus canit:

Claud. de Bel. Gild. vs 507.

Humanæ speciem plantæ sinuosa figurat
Insula, Sardiniam veteres dixere coloni.

Videri possunt quæ observata sunt de his Sardiniæ nominibus viro summo Samueli Bocharto. Tum etiam id ex eo patet quod σάνδαλα pisces planos Græci vocent, quam vocem apud Athenæum legimus; Σάνδαλα δ' ὧν πα-

Bochart. Georghr. S p. 2. lib 1. cap. 31. Athen. lib. 4. c. 1 & ibid Cas.

ἐθηκεν ἀειγενῆ ἀθανατάων *Apposuerunt & sandala æterna immortalium.* Ad quæ verba notavit princeps ingeniorum Isaacus Casaubonus: *Planos pisces, cujusmodi est solea, vocat* Sandala immortalium, *Nereidum videlicet, & aliarum Nympharum marinarum.* Pariter ὑποδήμασι de soleis primitus est dictum. Etenim licet Græci omne genus calceamenti ὑποδήματα appellent, atque hoc nomen tribuant calceis cavis, in quos pes intromittitur, quique ἀπὸ τῶν σανδαλίων discernuntur, uti prolixe docet Salmasius ὁ πάνυ, tamen ex origine *soleam* notat: Est enim à verbo ὑποδέω sive ὑποδέομαι, quod est *subligo*, ut, quod in soleis præcipuum est, ipsa voce denotetur: unde & verbum ὑποδῆσαι de sandaliis usurpatur. Apud Romanos sicuti *soleæ* nomen isti calceamentorum generi tributum est, *quod*, ut Festus definit, *pedis solo subjicitur*, & commune est cum nomine *soleæ*, quo piscem planum vocant, ita & *calcei* vox ex prima origine pro *solea* dicta est. Etenim *calceus* à Latinis vocatus est à calcibus, quæ imæ pedum partes sunt.

Salm. ad Tert. Pall. cap. 5.

sunt. Unde & verbum *calceare* de mulis usurpatum est apud Suetonium, quibus tamen soleæ tantum adduntur. Quare cum prisca nomina pedum tegumentis imposita sint à plantis pedum quas solas munierunt, licet postea quædam translata sint ad calceos cavos, quibus totus pes tegitur & amicitur, non ineptè concludere nobis videmur, primum calceorum genus soleas fuisse.

Suet. in Vesp. c. 23.

IV. Uti antiquissimum calceamenti genus soleæ fuerunt, ita veteres Hebræos soleis pedes muniviſſe putamus. Est ad notandam *soleam* vox נעל aptissima, &, ut mihi quidem videtur, ex prima origine pro *solea* usurpata. נעל apud Hebræos *pessulo* vel *sera claudere* significat, unde & מנעול est *pessulus, sera*. Sed & idem verbum *vinculo constringere*, atque *calceare* notat, quia olim soleæ vinculis circa pedem ligabantur. Unde pro *calceo* נעל usurparunt Hebræi quasi *vinculum* dicas quod pedem constringeret. Scilicet uti Græci ab ὑποδέομαι quod est *subligo*, ὑποδήματα *soleam* vocarunt, ita Hebræi à נעל

quod

quod est *vinculo constringere*, soleam appellarunt, ut quod in soleis præcipuum est, pedem vinculis constringere, ipsa voce denotarent. Est enim in soleis plane necessarius vinculorum usus. unde optime *soleam* Hebræi נעל vocarunt, quomodo & Latini *vincula* sæpe pro *soleis* usurparunt, uti jam dudum Achilles Statius, Thomas Dempsterus, Claudius Salmasius, Benedictus Balduinus, & alii docuerunt. Stat. ad Tibul. l. 1. Eleg. 5. Dempst. ad Ros. p. 441 Salm. ad Tert. Pal. cap. 5. Bald. de Calc. Ant. cap. 11.

V. Vocem נעל *soleam* significare, etiam innuere videntur vetusti interpretes. Apud Jonathanem in Legem, & interpretem Hierosolymitanum τὸ נעל respondere כנרל vel כנרלא, jam diximus, & multis exemplis ostendit in magno & immensi laboris opere vir eximius Johannes Buxtorfius. Hoc vero est ipsissimum Græcorum vocabulum σανδάλιον. R. David Coen de Lara, ad vocem כנרלין עי׳ מנעל: כנרלים G. σανδάλιον L. *Sandalium, calceorum genus.* H. *Sandalio: un cierto calçado quæ usavum los antiquos.* Atque uti apud Græcos σανδάλιον *soleam* notat, ita כנרל vel כנרלא de Buxt. Lex. Talm. R. כנר R. Coen de Lara in Conveni-entia Vocabulorum Rabbin. cum Gr. & Lat. &c.

solea

solea usurpatur. Id ex eo non tantum constat, quod laminas ferreas quibus solebant cunas & puerorum lectulos circa pedes munire, Talmudici vocant סנדל של עריסה *Sandalium lecti*. & equorum soleas סנדלי בהמה של מתכת *Sandalia jumentorum ex metallo*, verum etiam quod *soleam*, piscem marinum, סנדל apellant. Exstat ea vox pro pisce plano, quem *soleam* Latini vocant, in codice Nidda, de qua R. David Coen de Lara ad vocem סנדל: עי' דג דומם לסנדל G. σανδάλιον *L. piscis, qui Latinè solea, ut Plin. & lingulaca, ut Plauto.* Unde, cum Ionathan & Targum Hierosolymitanum pro Hebræo נעל habeant סנדל vel סנדלא, quæ vox non nisi *soleam* significat, ex vulgato usu, quem ex Græcorum lingua retinuit, manifestum est נעל ipsos pro *solea* sumpsisse. Neque aliter veterunt LXX. Interpretes, qui pro נעל aliquando habent σανδάλιον, aliquando ὑπόδημα. Et quidem σανδάλιον non nisi *soleam* esse constat satis. ὑπόδημα pro calceo cavo sæpe quidem sumitur apud Græcos scriptores, attamen hoc discri-

Oholoth. cap. 12. Kelim cap. 14.

Nidda fol. 25. R. David Coen de Lara Loc. cit.

men

men non agnoviſſe LXX. Interpretes vel ex eo videre eſt, quod idem nomen Hebræorum נעל modo ὑπόδημα modo σανδάλιον reddant, quomodo & Joſephum vocaſſe σάνδαλον, quod LXX. verterunt ὑπόδημα, obſervare licet in ea Lege, qua jubetur vidua, quam ducere recuſat defuncti mariti frater, Leviro calceum exuere. Eam Legem LXX. interpretes tranſtulerunt: Καὶ προσελθοῦσα ἡ γυνὴ τοῦ ἀδελφοῦ ἔναντι τῶν γερόντων, καὶ λύσει τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ τὸ ἓν ἀπὸ τοῦ ποδὸς αὐτοῦ. Deut. 25. 9.

Joſephus vero: ὑπολῦσασα ἓν αὐτὸν ἡ γυνὴ τοῦ ἀδελφοῦ τὸ σάνδαλον: uti & Talmudici in hoc negotio vocem נעל uſurpant, quod totus liber Javammoth de jure leviratus manifeſte docet, & quicunque alii de iſta materia ſcripſerunt. Confirmat Vulgatus, qui licet aliquando *calceamentum* vertat, ſæpe tamen habet *caligam*. *Caligam* vero, militare calceamentum, uti jam nemo ignorat, ex ſandaliorum vel ſolearum genere fuiſſe, ſatis oſtendit caligarum forma, quam ex antiquis monumentis & marmoribus viri doctiſsimi dederunt. Formam Ioſeph. Ant. jud. lib. 5. cap. 11.

caligæ

Licet. de Lucernis lib. 6.

caligæ sub lucernæ specie insignis Philosophus Fortunius Licetus jam dudum exhibuit. Eandem expressam ex ingenti columna marmorea Trajano Imperatori erecta, quæ Romæ edita est cum explicatione Alphonsi Ciacconi, dedit Julius Nigronus, qui ex arcu Constantini, unde Josephus Castalio caligam expresserat, eandem delineatam quoque repræsentavit. Figuram caligæ sub lucernæ specie, & qualis cernitur in columma Trajani & arcu Constantini hic apposuimus, cum caliga, si sine clavis spectetur, optime exhibeat figuram solearum, quas Hebræi gestarunt. Cum itaque *caliga* sit ex solearum, sive sandaliorum genere, unde in Glosis σανδάλια *caligæ*, & Hieronymus *Depositis*, inquit, *calceamentis, quæ septuaginta* σανδάλια, *id est, caligas vocant*: & Vetus interpres נעל *caligas* vertat, uti & σανδάλια *caligas* reddidit, sane videre est eum putasse Hebræum נעל non nisi *soleam* esse, quale calceamenti genus noverat caligam fuisse.

Nigr. dissert de caliga. Castalio. observ. Dec. 2. cap. 4.

Hier. in Ies.


Act. 12. 8.

VI. Id ipsum confirmari vehementer



CALIGA MILITARIS SUB
LUCERNE SPECIE





FORMA CALIGÆ EX
COLUMMA TRAIANI





FORMA CALIGÆ EX ARCU CONSTANTINI



menter videtur ex eo veterum more, quo peregre advenientibus & menſę accubituris pedes lavabant. Apud Hebræos veteres eum morem viguiſſe, ut hoſpitibus pedes lavarent, idque primum eſſet hoſpitalitatis officium, antequam menſæ accumberent, multa oſtendunt Sacri codicis loca. Jam Abrahami ævo hoc in uſu fuiſſe, vel ex eo diſcimus, quod Abrahamus tribus viris, qui ad eum divertebant, ſtatim dixerit: *Sumetur jam parum aquæ, & lavate pedes veſtros*, quod idem Lothus fecit. Sed & Chriſti temporibus eum morem uſitatum ipſius dictum oſtendit, quo Simeoni hujus officii neglectum exprobrat: *Aquam pedibus meis non dediſti.* Moris hujus originem ego non aliunde quam ex ſoleis arceſſerem veterum Hebræorum. Scilicet cum ſoleis uterentur priſci Hebræi, quę plantam pedis ſolummodo tegerent, cum reliqua pars nuda eſſet & teretibus habenis juncta, fieri vix potuit, quin pulvere atque luto macularentur pedes, quos lavare primum officium fuit. Veteribus He-

Geneſ. 18. 4. & 19. 2.

Luc. 7. 44.

Hebræis enim id contingebat, quod apud Atticos iis evenit, qui utebantur calceamentorum genere, quod κονιπόδας Attici vocabant, quia pedes pulvere inquinabantur, ut Suidas κονίποδα exponit: στενὸν σανδάλιον ἢ διὰ τὴν στενότητα ὁ τῶς ἐνηνιοχεῖτο: & Clemens Alexandrinus: Εἰ δὲ μὴ ὁδεύοιμεν, ἀλλὰ μηδὲ φέροιμεν τὴν ἀνυποδησίαν, βλαυτοῖς ἢ φαινικίοις χρηστέον, κονίποδα αὐτὰ καλεῖν οἱ Ἀττικοὶ διὰ τὸ πελάζειν, μοι δοκεῖ, τῇ κόνει τοῖς ποσί. *Quod si non peregre proficiscimur, atque etiam non ferre possumus nudis pedibus incedere, blausis aut phœnicissis utendum. Κονίποδας ea vocarunt Attici, quod inquinent, ut mihi videtur, pulvere pedes.* Hinc non mirum eum morem invaluisse, ut hospitibus peregre advenientibus & mensæ accubituris, aquam præberent ad lavandos pedes.

Clem. Alex. Pedag. lib. 2. cap. 11.

VII. Sed huic sententiæ, qua contendimus Hebræos veteres soleas gestasse, non levia opponi possunt argumenta quibus-adstrui videtur etiam calceos cavos in usu fuisse. Nihil moror rationes eorum, qui duplex calceamenti genus usitatum fuisse observant, quo-

quoniam ii, qui à Gibeonitis ad Josuam erant missi, secum sumpsisse dicuntur *veteres & maculosos calceos*, quod de calceis cavis interpretantur, cum maculæ in soleis non appareant. Superius enim ostendimus vocem מלאוּרַ significare quod diversis solorum frustis suppactum est, quomodo Græci optime reddiderunt σανδάλια παλαιὰ καὶ καταπεπλαστωμένα, & Vulgatus: *calceamenta perantiqua, quæ, ad indicium vetustatis, pittaciis consuta erant.* Unde cum calcei Gibeonitarum ex diversis solorum frustis dicantur suppacti, nihil concludi potest pro calceis cavis, sed quidem pro soleis: quod Græci intellexisse videntur per suum καταπεπλαστωμένα, quod verbum ἀπὸ τοῦ πέλματος h.e. à solea ductum est. Illud majoris est momenti, quod nos ipsi multis adstruximus, apud Hebræos veteres in usu fuisse calceos rubros sive coccineos, quibus & magnates, & puellæ delicatiores utebantur. Unde concludi posse videtur, non soleas fuisse istud calceamenti genus, sed calceos cavos, qui pedem totum operi- Ios. 9. 5.

operirent, cum ſimplex ſolea fruſtra colore tincta fuiſſet, quæ pedibus ſuppoſita vix habet quod in ſpectantium oculos incurrat.

VIII. Hoc argumentum quantumvis ſpecioſum, minime tamen deſtruit noſtram opinionem. Viri maximi Danielis Heinſii pulchra eſt obſervatio, qua Nonnum caſtigat, qui pro eo quod Johannes dixit οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος ἵνα λύσω τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος, habet.

Heinſ. in Ariſtarcho S. p. 744.

——— οὗ ποδὸς ἄκρον

Ἀνδρομέην παλάμην οὐκ ἄξιός εἰμι πελάσσας

Δῦσαι μοῦνον ἱμάντα θεοπνεύστοιο πεδίλου.

Culpat Nonnum ὁ πάνυ, qui ἄκρον πόδα dixit, quod ad plantam aut extremitatem digitorum veteres referre ſolent. *Sed non cogitabat*, inquit, *de corrigia, ſeu calceorum vinculo, hic agi, multo minus, etiam Judæos tibiatim calceaſſe. Unde & Doctiſſimus Tertullianus Moſi caligam attribuit, qui*, Speculatoriam moroſiſſimam pedibus abſolvit, terræ ſanctæ inſiſtere incipiens, *caligam nimirum militarem. Quam in crure lorum, ſeu corrigia, ambibat: quæ ad ambiendo, ut Hebræis, ita*

ab

ab hoc ipso σφαιρωτὴρ *dicta Hellenistis.* Observat vir maximus *tibiatim calceasse Judæos*, quia habenæ teretes, sive corrigiæ, eousque extendebantur, ut crus lorum ambiret. Hoc utique verissimum putamus. Apud veteres ea calceamentorum genera, quæ sandalia erant, sive soleæ, & corrigiis pedi alligabantur, licet lora ad talos tantum aliquando pertingerent, tamen ad crus sæpe pervenerunt. Cothurnos, qui soleæ fuerunt, vinclis ad crus pertingentibus religatos fuisse, ex Sidonio optime docuit vir politissimus Albertus Rubenius. Verba Sidonii sunt:

Sidon. in Panegyr. Anthemii. Rub. de Re Vest. lib. 2. cap. 1.

Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in adversum vincto de fornice pollex,
Quæ stringant crepidas; & concurrentibus ansis
Vinclorum pandas nectant per crura catenas.


Campagos etiam, militare calceamentum ducũ atque imperatorum,

postea ab iisdem etiam in pace usurpatum, licet ex genere solearum, sive crepidarum essent, & ideo à calceo cavo urbano distincti, ad crus habenas illas, & retinacula extendisse, jam dudum monuerunt viri maximi. Videri possunt quæ Isaacus Casaubonus, Claudius Salmasius, Benedictus Balduinus, Albertus Rubenius, & Octavius Ferrarius de campago disputarunt. Scilicet campagus crepida fuit, sive solea, habenis pedi innexa, quæ crus contingebant, reticulato opere decussatim implexæ. Caligæ quoque militum Romanorum, quas Sandalia sive soleas fuisse ex antiquis monumentis atque marmoribus superius ostendimus, ad crus sive tibiam usque ascendebant, ut Claudius Salmasius & Albertus Rubenius docuerunt. Negat id quidem Octavius Ferrarius, & caligas manipulares usque ad tibiam retinacula extendisse, non ita certum esse pronuntiat. Sed, uti non contendimus omnes caligas ad mediam usque tibiam retinacula extendisse, tamen negari nequit, caligas

Casaub. & Salm. ad Hist. Aug. Script. Bald. de Calc. Ant. cap. 18. Rub. de Re Vest. lib. 2. cap. 5. Fer. in Analec. cap. 36.

Salm. loc. cit. Rub. lib. 2. cap. 1. Fer. loc. cit.





HADRIANI



HADRIANI



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HADRIANI



COMMODI







ligas etiã ad crus ascendisse. Id videre est in nummis Hadriani, & Commodi, in quibus caligæ ad medium crus ascendunt, quos hic apposuimus. Atque hoc ipsum ostendit campagus, quem Julius Capitolinus cum caliga confundit. Nam, uti optime notavit Albertus Rubenius, haud multum diversi erant à caligis campagi. Atque ut dicam quid mihi visum sit perquam verisimile, in eo discrimen campagorum à caligis statuerem, quod campagi reticulato opere decussatim implexis habenis ad crus pertingerent, caligæ vero crus contingerent non reticulatim implexis habenis, sed uti videmus in arcu Constantini. Hoc discrimen mihi indicare videtur Gallienus apud Trebellium: *Caligas gemmatas*, inquit, *annexuit, cum campagos reticulos appellaret.* Etenim Trebellius hac ratione debet intelligi, ut Gallienus caligas induerit, loco compagorum, quæ quidem, ut compagi, ad medium crus perveniebant, sed non opere reticulato, unde, ut à gregariis militum caligis distinguerentur, eas

Iul. Capit. in Maxim.

Rub. de Re Vest. lib. 2. cap. 5.

Treb. in Gallieno.

gemmis annexuit. Nam quod Ferrarius hic opponit, *caligas vulgares non multum ultra pedes habenas produxisse: nam si ad suram usque, & tibiatim, ut Salmasius putat, & ipsæ reticulum fuissent, ut campagus, nullo in figura inter utrumque discrimine*, nihil est. Etenim uti ipse mox adjungit: *si caligæ vulgaris retinacula etiam in crure cernantur, non fuisse tamen decussatim & reticulatim implexa necesse est.* Ita sane fuit. Caliga & campagus habenas suas ad medium crus extendebant, sed campagus decussatim & reticulatim, caliga non item, sed eo modo quo caliga visitur in arcu Constantini. Soleæ quoque, licet earum habenæ pedem sæpe non excesserint, tamen aliquando ad crus ipsum eas extenderunt. Videre id est in nummis Domitiani, M. Aurelii, & Plautillæ, quos Ferrarius exhibuit, in quibus corrigiæ, quibus soleæ nudo pedi nectuntur, ad suram usque perveniunt. Uti vero veteres ea calceamenta, quæ sandalia erant sive soleæ, corrigiis pedi alligabant, quæ ad crus ascendebant, ita

Ferrar. loc. cit.

Fer. de Re Vest. lib. 1. cap. 1.





M. AURELII





TITI

PLAUTILIÆ





DOMITIANI





ita Hebræi tibiatim calcearunt. Id intellexisse videtur vulgatus interpres, qui יָרַךְ & σανδάλιαι *caligas* vertit, quas in crure lorum seu corrigiam ambiisse ostendimus. Atque id aliis Orientis populis usitatum quoque fuisse, ex Virgilio videre est, qui de Tyriis virginibus canit: Virgil. 1. Æn.

Mos est virginibus Tyriis gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Hac ratione videmus, quomodo & soleæ Hebræorum tingi colore potuerint. Etenim uti cothurni punicei vel purpurei coloris fuerunt apud Tyrias virgines, quo colore, saltem inferiori ævo, etiam fuisse Imperatorios campagos certum est, & soleæ rubræ, unde illud Persii Pers. Sat. 5. vs. 69.

——*Solea puer objurgabere rubra,*

ita & soleæ Hebræorum rubri vel coccinei coloris esse potuerunt. Nam uti calcei cavi, vel nigri, vel mullei dicebantur, ab eo colore quo corium, quod pedem tegebat, tinctum erat, ita & soleæ vel rubræ vel coccineæ dicebantur, à

corrigiis, sive habenis, quibus pedi alligabantur, & quæ ad crus perveniebant. Quod ipsem etiam verum fuit, licet vel ad talos pertingerent.

IX. Sed, quod palmarium est, in Euangelica historia ὑποδήματα tanquam à sandaliis distincta viri doctissimi observant, unde certum esse videtur, usum calceorum, qui totum pedem tegunt, & ὑποδήμασι vocantur, æque ac solearum, quæ σανδάλια sunt, apud Hebræos fuisse. Sane Matthæus præceptum Christi, quod Apostolis dedit, ita refert, ut interdicat: Μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον: Marcus vero, ut concedat esse ὑποδεδεμένους σανδάλια, ἢ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. Quæ quidem putant viri eruditissimi non alia ratione posse conciliari, quam ut inter ὑποδήματα & σανδάλια agnoscatur discrimen. Ita maximus Salmasius: *Dominus noster Apostolis suis interdicit, Matth. cap. 10. vers 10.* Μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήμασι, μήτε ῥάβδον. *At apud Marcum cap. 6. vers 9. permittuntur iidem habere sandalia:* ἀλλὰ ὑποδεδεμέ-

Matth. 10. 10.

Marc. 6. 9.

Salm. ad Tertul. pal. cap. 5.

μίνας σανδάλια, καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. *qui nullum putant Evangelistas posuisse discrimen inter* ὑποδήμασι *&* σανδάλια, *longiter errant: & hæc ratio est conciliandi cum Marco Matthæum, quum alia nulla sit.* ὑποδήματα *sunt calcei qui totum pedem tegebant: hos Dominus Apostolis interdixit.* σανδάλια *sunt soleæ, quæ plantam pedum duntaxat sebtegebant: has Dominus Discipulis suis permisit.* Idem visum fuit Benedicto Balduino. *Apostolos*, inquit, *sandaliis usos esse, satis ex eo liquet, quod cum Christus Dominus apud D. Lucam prohibuisset Apostolis, ne calceamenta portarent, quibus nimirum pedes omnino tegerentur, iisdem nihilominus apud D. Marcum sandaliorum usum permittit, utpote quæ superiorem pedum partem nudam relinquerent, inferiore tantum planta adversus spinas & tribulos munita.* Paria habet vir doctissimus & in Talmudis ac Rabbinorum lectione versatissimus Johannes Lichtfootus: *Calceos hic intelligi, non sandalia, patet ex Marco, capitis sexti versu nono, atque inter hæc discrimen statui satis patet ex ipsissimis hisce locis.*

Bald. de Calc. Ant. cap. 12.

Lich. Hor. Hebr. in Matth.

X. Non diffiteor, mihi quondam placuisse doctorum hominum sententiam, qui inter ὑποδήματα & σανδάλια faciunt discrimen, quale expositit maximus Salmasius, & elegantissimus Balduinus. Putabam, veteres Hebræos soleis usos, quamdiu mores aliarum gentium nondum erant imitati, sed seculis posterioribus, postquam cum Romanis intercederet commercium, etiam cum soleis usum calceorum invaluisse. Placebat etiam eorum ratio, qui Christum volebant ὑποδήματα prohibuisse, σανδάλια vero permisisse, quod vellet eos veteri inter Judæos usu soleis calceari, non vero calceis, quod pedum delicatius tegumentum erat. At dum hæc accuratius perpendo longe aliter visum fuit. Eo tempore calceis cavis usos Judæos minime credo, ut ὑποδήμα *calceum* proprie dictum significaret, σανδάλιον vero *soleam*. *Calceum proprium togæ tormentum* Tertullianus vocat. Utique hoc verissimum esse, multa veterum loca ostendunt. Apud Romanos calceus sine toga non sumebatur. At, ut Calcei togæ

Tert. de pal. cap. 5.

pro-

proprii, ita soleæ, vel crepidæ, pallio & tunicæ. Nota est Ciceronis in Verrem increpatio: *Stetit*, inquit, *soleatus Prætor populi Romani, cum pallio purpureo, tunicaque talari.* Hinc, uti certum est, non togis sed tunicis usos Judæos, quomodo & χιτῶνες hic nominantur, ita quoque certum videtur, soleas sive sandalia eos gestasse, non vero calceos, qui togæ erant proprii. Quin nullum discrimen inter ὑποδήματα & σανδάλια agnoscendum esse jam dudum monuit magnus ille Desiderius Erasmus, eumque secuti Theodorus Beza, & Hugo Grotius. Quod sane verum est. Jam superius observavimus apud LXX. interpretes voci נַעַל modo ὑπόδημα modo σανδάλιον respondere, & Josephũ in expositione legis de leviratu σανδάλα dixisse, quæ illi ὑποδήματα. Qui & ὑποδήματα vocat Essenorũ σανδάλια, ubi inter eorum instituta refert, quod ὅτε ἐσθῆτας, ὅτε ὑποδήματα ἀμείβεσθαι πρὶν ἢ διαῤῥαγῆναι τὰ πρότερα: *Nec vestes, nec calceos, id est soleas, mutant, nisi omnino ruptis prioribus.* Licet vero nullum inter ὑποδήματα &

Cic. in Ver. Act. 4.

Erasm. ad Marc. 6. 9. Beza ad Matth. 10. 10. Grot. ibid. & ad Marc.

& σανδάλια discrimen agnoscamus, tamen cum Matthæo non pugnabit Marcus. Nullam aliam esse rationem conciliandi cum Matthæo Marcum pronuntiat quidem Salmasius ὁ πάνυ, id vero aliter esse nos putamus. Noluisse Christum, cum mitteret discipulos ad prædicandum Euangelium, susceptæ legationis ergo vel tantillum esse sollicitiores, manifestum est. Hinc jubet, ut enque peram, neque binas tunicas, neque calceos, neque baculos sumant. Solitos veteres, cum aliquo profecturi essent, secum sumere χιτῶνας ἀλλαξομβύας, ut in itinere mutarent, monuit vir summus Daniel Heinsius, atque etiam pauperculos à ditioribus accipere solitos, qui ἀλλακτὰς & ἀλλαξομβύας, præsertim in itinere, habebant. Idem notavit vir illustris Hugo Grotius, qui etiam, quia iter facientibus soleæ atterebantur, neque raro fiebat ut baculus frangeretur, in sarcinulis solitos ponere veteres alias soleas aliosque baculos, observavit. His omnibus Christus vult abstinere discipulos, reperturos &

Heinf. Exerc. S. ad Matth. 10. 10.

Grot. ad Matth. 10. 10.

vi-

victui & itineri necessaria. Unde videre est, non ὑποδήμῳ, sed δύο ὑποδήμῳ apud Matthæum discipulis interdici. Etenim uti Christus δύο χιτῶνας, ita δύο ὑποδήμῳ, & δύο ῥάβδους prohibet. Hæc enim omnia à voce δύο pendent. Uti nec tunicas binas, ita nec duos calceos, nec duos baculos voluit Christus eos in sarcinulis secum sumere. Atque hic non possum dissimulare, semper mihi visum esse male in vulgatis Matthæi codicibus ῥάβδον legi, & restituendam esse priscam lectionem ῥάβδους. Equidem scio jam olim Syrum & Latinum interpretem ῥάβδον legisse. Antiquum enim est hoc mendum, ex eo natum, quod ῥάβδον ἕτερον, quam quem manu gerebant, etiam in sarcinulis habuisse veteres non animadverterunt. ῥάβδους tamen habet editio Francofurtensis, quæ apud Andreæ Wecheli hæredes, anno superioris seculi XCVII, prodiit, una cum variantibus veterum codicum lectionibus. Atque ad eam vocem hæc nota legitur. ῥάβδους, *est in Complut. Reg. 5. & aliis 4.* Utique hæc verissima

mihi videtur lectio, quam non tantum melior verborum cohærentia, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδους, ut nempe omnia ad præcedentem vocem δύο referantur, & Lucas confirmat, qui clare ῥάβδους habet: verum etiam quod alias explicari nequit, cur hic ῥάβδον prohibeat Christus, quem tamen apud Marcum discipulis concedit, dum dicit, Ἵνα μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδὸν, εἰ μὴ ῥάβδον μόνον. Quod sane clare ostendit apud Matthæum ῥάβδους esse legendum. Scilicet uno baculo suos discipulos Christus vult contentos, neque, ut fieri consueverat, etiam alium in sarcinulis habere. Hæc mihi unica videtur Marcum cum Matthæo conciliandi ratio, ut nempe apud Matthæum, ut δύο χιτῶνας, ita & δύο ὑποδήματα prohibeat Christus, apud Marcum vero permittat σανδάλια, nempe quibus induti erant. Itaque, licet nullum inter τὰ ὑποδήματα & σανδάλια discrimen admittatur, non tamen cum Marco pugnabit Matthæus. Etenim non vetatur apud Matthæum calceamenta discipulis,

Luc. 9. 3.

Marc. 6. 8.

lis, sed bina calceamenta, hoc est, alia præter ea quæ habebant in pedibus, quemadmodum & duæ tunicæ prohibentur. Apud Marcum vero permittuntur σανδάλια, scilicet ea, quibus induti erant. Atque in hunc sensum Matthæi verba jam olim accepit Juvencus, Poëta Christianus, qui cecinit: Iuv. lib. 2. Euang. Hist.

— *Nec plantis tegmina bina.*

Id ipsum Thomas innuit, atque ita explicat Cajetanus. Sequuntur Johannes Maldonatus, Vincentius Regius, & complures alii Romanæ Ecclesiæ doctores. Videri etiam possunt quę magno nostro Desiderio Erasmo sunt animadversa, itemque quæ notavit vir supra laudem omnem positus Theodorus Beza. Viri vero illustris Hugonis Grotii verba dignissima sunt quæ hic adscribantur. *Intellige*, inquit, *baculum alium quam quem manu geritis, aut soleas alias quam quibus nunc induti estis. Nam hunc esse sensum ostendit tum quod præcessit, δύο χιτῶνες, h. e. vestem alteram ab ea qua vestimini, tum quod apud Marcum est, ubi diserte* Thomas. Cajet. Maldonat. in Matth. 10 10. Vincent. Reg. lib. 2. Dilucid. Euang. Erasm. ad Marc. 9. Beza ad Matth. 10. 10.

permittitur unus baculus quem gerebant, & soleæ illæ quibus erant induti. Nimirum, quia iter facientibus soleæ facile atterebantur, neque raro fiebat ut baculus frangeretur, aut alicubi adhæresceret, ideo in sarcinulis solebant ponere alias soleas alioſque baculos. Hac cautione Christus Apostolos suos vult abstinere, quocumque iter facturi essent reperturos & victui & itineri necessaria. Atque ideo multitudinis numero ἑ ράβδους dixit Lucas, ut sign. non interdici quo minus baculum unum haberent, sed quo minus plures: Quod æquo jure de paribus solearum debet intelligi. Hac ratione quis non videt optime Matthæum cum Marco conciliari. Quę quidem mihi præ illa altera probatur, quam inierunt Claudius Salmasius, & Benedictus Balduinus, vel ex eo, quia docet evidenter cur ῥάβδον hic vetet Christus, quem tamen Apostolis apud Marcum permittit, qua difficultate se nunquam alias expedient viri eruditissimi. Neque video jam, cur inter ὑποδήματα & inter σανδάλια tantum discrimen Christus statueret, ut videlicet hoc calceamenti

ceamenti genus, in quod pes intromittitur, prohiberet Discipulis, alterum concederet. *Usus delicatioris fuisse calceos, durioris atque utilioris Sandalia*, ut pote cum מנעל של עור *calceus esset è corio molliori*, At סנדל של עור קשה *Sandalium è corio duriori*, adeoque *Christum interdixisse calceis ne morem delicatiorem omnino saperent*, notavit quidem Johannes Lichtfotus: Eam vero rationem quis non videt esse ineptam. Quasi vero tantum foret in calceamentis discrimen, ut calceos cavos prohiberet Christus, sandalia vero, quæ partem pedis superiorem relinquerent nudam, permitteret? Ita quidem interpretati sunt antiqui in Ægypto Monachi, qui sandalia, velut à domino permissa, gestabant, calceos, veluit interdictos, recusabant, de quibus Cassianus: *Calceamenta vero velut interdicta Euangelico præcepto recusantes, cum infirmitas corporis, vel matutinus rigor, seu meridiani æstus fervor exegerit, tantummodo caligis suos muniunt pedes, interpretantes usum earum vel dominica permissione signari, ut si in hoc mundo con-*

Gloss. in jebam. Babyl. fol. 101. 1.

Licht. in Hor. Hebr. ad Matth. 10. 10.

Cassian. de Hab. Monach. cap. 10.

constituti, cura & sollicitudine carnis hujus, omnimodis exuti esse non possumus, nec ab ea penitus prævalemus absolvi, saltem occupatione levi, & implicatione tenui necessitatem corporis explicemus. Sed hæc frigida sane est ratio, Monachorum acumine ut dignissima, ita Christo Domino omnino indigna. Æque parum me movet, quod de discrimine inter ὑποδήματα & σανδάλια ex scholis Judaicis se observasse putat vir doctus. Notat ex Jevamoth: *Extractio calcei (Leviri, Deut. 25. 9.) recta est. Sandalii, si adsit ei calx, recta est; sin minus, non recta.* At quis nescit ibi magistros loqui de suis temporibus. Longe post Christi tempora conscriptum esse Talmudicum corpus nemo ignorat, qua tempestate jam præter sandalia in usu erant calcei cavi. Unde etiam invaluerat extractio in causa leviri, vel calcei, vel sandalii, qui mos originem dedit disquisitioni Rabbinicæ. Sed olim non nisi sandalio leviri excalceationem factam ex loco altero, quem adducit, apparet. Est in eo distinctio calcei & sandalii,

Jevam. cap. 12. Hal. 1.

ex

ex usu videlicet posteriorum temporum. Quod vero legimus: *Et tamen ut plurimum usitatum est extrahere sandalium, & consuetudo valet contra traditionem*, maxime nostram confirmat opinionem, veteres Hebræos non nisi soleas sive sandalia gestasse. Invaluerat usus, ut calceos cavos haberent Judæi, extractio tamen calcei in causa leviri sandalio peragebatur. Scilicet Judæi, patriorum morum tenacissimi, cum non nisi soleas veteres gestassent, & in calcei extractione soleis essent usi, noluerunt relinquere avitam consuetudinem, cum calceorum usus adhuc recens esset. Ut nihil officiat nostræ sententiæ, quæ de discrimine τῶν ὑποδημάτων & σανδαλίων viri doctissimi notarunt, cum id nullum sit in scriptis Euangelicis, ubi Christus non ὑποδήματα sed δύο ὑποδήματα prohibet, h. e. par aliud quam quod gestabant, & σανδάλια permittit, ea videlicet quæ in pedibus habebant, qua ratione, uti quisque videt, optime Matthæus cum Marco conciliatur.

CA-

Caput Septimum.

Soleæ habenis teretibus vinctæ apud Romanos, Græcos, Hebræos. Corrigiam Hebræi eleganter שרך *vocant, & Græci LXX.* ὁφαιρωτῆρας. *Corrigiæ varia ratione olim pedibus circumvolutæ. Locus Iudith* 10. 3. *&* 16. 23. *Verbum* משכרת *Jer.* 2. 23. *obscurum. Recentiorum interpretum expositio rejecta. Conjecturæ Lud. de Dieu expensæ. LXX. interpretes & Vulgatus notati. Nostra verbi* משכרת *& totius loci explicatio. Olim corrigiæ ex corio fuerunt. Hinc non magni pretii. Locus Gen.* 14. 23. *illustratur. Variæ loquendi rationes à corrigiis desumptæ quæ apud veteres significant exuere calceos. Locus Jes.* 5. 27. *interpretibus male acceptus. Nostra explicatio. Balduini expositio. Error Balduini &*

Glossæ

Gloſſæ ordinariæ. Vincula calceorum ſive corrigias ſolvere viliſſimum miniſterium apud Græcos, Romanos, Hebræos. Johannis Baptiſtæ dictum, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς κύψας λῦσαι τὸ ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ *exponitur.*

I.

OMnia *ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cætera prope nuda & teretibus habenis vincta ſunt, ſoleas dixiſſe veteres* Agellius docet. Rectiſſime ſoleis dat teretes habenas, quibus pedibus alligari poſſint: Eſt enim in ſoleis plane neceſſarius vinculorum uſus. Apud Romanos quidem hoc adeo tritum fuit, ut ſæpe *vincula* pro ipſis *ſoleis* dicantur. Pariter apud Græcos habenis teretibus ligata calceamenta Homerus innuit, uti obſervavit Hieronymus Magius. Soleas Hebræorum veterum etiam vinculis ſive corrigiis pedi alligatas fuiſſe, varia loca Sacri Codicis oſtendunt. Jam Abrahamus negat ſe ex præda in

Agel. Noct. Attic. lib. 13. cap. 20.

Homer. Odyſ. 2. Mag. lib. 3. cap. 3.

Gen. 14. 23. in victoriæ præmium *vel filum, vel corrigiam caligæ* accepturum. Hinc etiam natum est Johannis Baptistæ dictum, qui se dignum negat λῦσαι τὸ ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων *solvere corrigiam calceamentorũ Christi.*

Marci 1.7. II. Hæc vincula, sive corrigias, Hebræi שרוך vocant, ab ambiendo scilicet, quia pedi circumvolvuntur, quomodo & Græci LXX. vocant σφαιρωτῆρας à σφαιρόω *involvo, in orbem conglobo.* Elegan-ter sane. Corrigiæ apud veteres varia ratione circumvolutæ fue-runt pedibus, uti ex antiquis sta-tuis & nummis apparet. Usitata admodum circumvolvendi ratio ea videtur, quam spectare licet in statua, quam dedit vir cl. Octa-

Fer. de Re Vest. P. 1. pag. 236. & 26. vius Ferrarius, qualis etiam ap-

P. 2. pag. 204. P. 1. pag. 4. P. 2. pag. 144. paret in ea, quę visitur in fronte domus Bassianorum, quomodo & Hercules in nummis Æsculapii cernitur. Alia ratione vero cir-cumvolutæ corrigię apparent in statua togata, quæ visitur in atrio palatii Veneti, quam fortasse Cice-ronis, certe oratoris, quod li-belli in dextra indicant & libel-lorum theca ad pedes statuæ, fuisse,

Ferra-




164 tab



ROMÆ IN FRONTE
DOMUS BASSIANORUM

HERCULES INNUMMUS
ÆSCULAPII





STATUA M. AURELII PALLIATA
IN ATRIO PA LATII VENETI






TZANGA




CAMPAGUS

DIRCIS SOLEÆ ROMÆ IN ÆDIBUS FARNESIORUM



APOLLINIS PYTHI SOLEÆ ROMÆ IN HORTIS VATICANIS



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ferrarius conjecit. Atque iterum alia in ſtatua M. Aurelii palliata, quam videre eſt in eodem atrio Palatii Veneti. Scilicet veteres etiam hac in re ornatum quæſiverunt. Apparet id maxime in campagis, qui opere reticulato circum pedem habenas extendebant, itemque tzangis, ſi modo hæc ſit campagorum & tzangarum figura, quam Andreas Friſius ad Balduinum exhibet. Pulcherrimæ vero ob habenarum precipue elegantiam fuerunt Dircis & Apollinis Pythi ſoleæ, quarum figuram quoque dedit. Hinc, quia corrigiæ pedibus circumvolvebantur, optime Hebræi eaſdem תרוך vocarunt, & Græci περισκελίδες. Etenim apud Hebræos non tantum ipſi pedi circumdabantur vincula, verum etiam ad orus ſe extendebant, plane uti caligas talis & cruri circumvolutas in arcu Conſtantini & antiquis nummis videmus. Etiam Hebræi veteres varia ratione hæc pedum vincula circumdederunt, vel uſus commodioris vel ornatus gratia. Pulchra atque elegantia ſandalia, quibus ſe Judith ornavit, & quæ cepiſſe

Friſ. ad Bald. pag. 180. & 101.

Iudith. 10. 3. & 16. 11.

cepisse dicuntur oculos Holofernis, talia fuisse, præter colorem coccineum, propter habenas teretes, quæ eleganti ratione pedem circumdederunt, non sine ratione quis posset suspicari.

Ier. 2, 23. III. Apud Jeremiam verbum משרכת occurrit, cujus variæ sunt admodum & diversæ interpretationes. Qui optime vertisse videntur, ex significatione vocis שרך *corrigiæ*, notionem hujus verbi petierunt. Unde reddunt *implicare*. Sic recentiores interpretes: *dromas velox*, vel *camela junior levis, implicans vias suas*: Belgę: *Ghy lichte snelle kemelinne, die hare wegen verdravt.* Metaphoram exponunt, ut משרכת *implicans*, sit, *instar scilicet corrigiæ calcei, quæ iteratis vicibus illi circumligatur*, ut Franciscus Vatablus habet, & prolixius eruditissimi Belgæ: *Het Hebreeusch woort wort alleenlijk hier gevonden, komende van een ander dat een* schoeriem *betekent. God wil seggen, dat Israel heen ende weder, om ende wederom liep in afgoderye*; gelijk een schoeriem *heen ende weder gesnoert, geslingert, in gewikkelt, ende verdrayt wort.*

Vatablus & Belgæ ad Ier. 2, 23.

wort. h. e. *Verbum Hebræum hoc loco tantum reperitur, descendens ab alio quod* corrigiam *notat. Innuit Deus, Israelem huc & illuc discurrere in idololatria, uti* corrigia *huc & illuc circumligatur, volvitur, implicatur, & contorquetur.* Probant eam significationem præstantissimi Lexicographi, & inter eos Johannes Buxtorfius: משרכת in quit, *corrigians, h. e. implicans, ut nodus corrigiæ implicatur constringendo.* Consentit vir summus Johannes Coccejus, atque hunc sensum elicit: *Propheta ostendit, eos in eodem luto hærere, quia ex animo non sint conversi, sed easdem opiniones retineant, quas habebant, qui in valle filiorum Himmon liberos suos mactaverant. Ipsos tantum non nihil variare viam, & ad idem tendere per ambages, quod videbantur, reliquisse. Ideo comparat eos cum dromade veloci implicante vias suas.* Ego vero, ut ingenue fatear, hæc non intelligo. Qua ratione quæso de dromade vel camelo juniore dici potest, eam vias suas implicare, instar scilicet corrigiæ calcei, quæ iteratis vicibus illi circumligatur? aut quomodo Deus

Buxt. in Lex. Hebr.

Cocc. in Lex. Hebr. & Comm. in Ies.

Deus, ut hoc innuat, Israelem huc & illuc discurrere ad idola, metaphoram sumeret à juniore camelo, quæ vias suas implicat, ut corrigia circa pedem ligatur & contorquetur? Si metaphora hæc à camelo desumitur, utique de camelo quid dici necesse est, quod in ipsam quadrat. Implicare vias suas, instar scilicet corrigiæ calcei, quæ iteratis vicibus illi circumligatur, dici de camelo posse, ego omnino non capio. Tum, quid est implicare vias suas instar corrigiæ calcei? Vir summus Ludovicus de Dieu aliud excogitavit, ut huic verbo מְשָׂרֵט lucem adferret. Exponit ex lingua Æthiopica, ubi שׂרט est *vespere, sero,* ὀψὲ. Matth. 28. 1. Marc. 13. 35. *Unde vertere liceret,* inquit, *quæ serotinat vias suas, id est, quæ vesperi in tenebris, quam plena luce ambulare mavult, ea enim dromedariorum, ut omnium pæne ferarum indoles est, & recte id accommodatur populo, quem scortationis spiritualis, in modum scorti carnalis depictæ, insimulat Propheta. Noctu enim amant scorta incedere atque amasios insequi. Nisi forte*

De Dieu ad Ier. 2, 23.

forte quis malit ad linguam Arabicam hic attendere, ubi שרך *significat* commune reddere, *&* שריך socius, particeps. *Hinc vertas communes reddens vias suas, quod scortis optime convenit, & passim populo exprobratur, quod uno Deo relicto, alios multos promiscue admiserint.* Verum nec hoc mihi placet, quod ὁ πάνυ habet. *Serotinare vias suas*, si id vel maxime ex lingua Æthiopica hæc verba possent significare, non video quid denotet, aut quomodo quadret in hunc locum. Quis pro vesperi in tenebris ambulare, unquam dixit, *serotinare vias suas*? Quis hoc etiam de dromedariis dicet? Est quidem omnium pæne ferarum indoles, ut vesperi in tenebris, quam plena luce, ambulare malint, hoc vero nihil ad dromedarios. Quem sensum etiam hinc eliciet ὁ πάνυ? Quod habet ex lingua Arabica æque parum mihi probatur, cum non intelligam, quid in camelum quadret, *communes reddens vias suas.* Non mirum autem virum doctissimum cæteroſque interpretes tam varia fingere, cum locus omnino sit obscurissi-

mus, in quo explicando nihil juvant omnes veteres, qui varie admodum reddiderunt. LXX. ὀψὲ φωνὴ αὐτῆς ὠλόλυξε τὰς ὁδὰς αὐτῆς. Quid in animo habuerint, quod בכרה verterint ὀψὲ, ego sane nescio, cum eam vocem Κάμηλον alibi transtulerint. Pro קלה vero legisse videntur קלה. Vulgatus: *Cursor levis, explicans vias suas.* Scilicet ex Aquilæ, Symmachi vel Theodotionis, corruptis exemplaribus hic error natus est, ut, pro *dromade*, sit in Vulgato *cursor*. Verterant illi δρόμὰς καμφὴ, pro quo librarii fecere δρομεὺς, uti jam pridem monuerunt viri eruditi. Utinam Samuel Bochartus, qui tot difficilia loca feliciter explicavit, & tam multa præclara de animalibus nos docuit, hunc locum non intactum reliquisset; Multis quidem ostendit בכרה esse *camelum juniorem*, at quid sit *camelus junior* משרכת דבירה nusquam dicit. Tentandum nobis est, an quid afferri possit, quod, si non omnino verum, verisimile tamen sit.

Bochart. Hieros. p. 1. pag. 82.

IV. Verbi משרכת, quod semel tantum occurrit, radicem olim usita-

usitatam שרך statuerem, quæ *circumire & discurrere* notavit, unde שרך *corrigia* dicta est, ab ambiendo, sive circumeundo, quia pedi circumvolvitur. Hinc *camelus junior* משרכת דרכיה *circumiens vias suas*, est camelus quæ æstro libinis percita notas semitas circumit, & huc illuc vagatur maris potiundi gratia. Inter animantia maxime libidinosa etiam camelus est, de quibus Aristoteles refert, quod *toto die coeant*. Inprimis בכרה flagrat libidine, quæ est camelus fœmina junior, quæ incipit *catulire*, hoc est, ad Venerem incitari. Hinc *camelus junior* משרכת דרכיה *circumiens vias suas*, est camelus, huc illuc discurrens æstu libidinis. Hunc sensum innuere videntur LXX. Interpretes, qui reddiderunt, ὀψὲ φωνὴ αὐτῆς ὠλόλυξε τὰς ὁδὰς αὐτῆς. Verbum ὀλολύξειν quidem ejulare, & cum clamore plorare, notat, verum etiam de eo ejulatu dicitur, quem emittunt bruta, dum libidine flagrant. Hinc ὀλολυγόνες sunt ejulatus, quos emittunt mares ranæ, dum fœminas ad coitum vocant. Neque aliter hoc intellexit,

Arist. Hist. Anim. lib. 5. cap. 11.

Plin. lib. 11 cap. 37.

si vera est viri illustris Hugonis Grotii explicatio, interpres Chaldæus. Is enim habet *depravans vias suas*, h. e. uti exponit vir illustris, *à mare ad marem alium discurfitans.* Confirmat vir in Hebraicis versatissimus Iohannes Buxtorfius, qui ad hæc verba משרכת דרכיה *implicans vias suas*, notavit, *id est, huc illuc discurrens, æstu libidinis: sic tu fervore idololatriæ.* Atque hic quidem sensus optime congruit huic loco. Gentem Iudaicam cum meretrice comparat Propheta, quæ se cuilibet offert. *In omni clivo alto*, dicit, *& sub omni arbore viridi, tu te prosternis, meretrix.* H. e. instar meretricis, quæ in lupanari prostat, & cuilibet se prosternit, tu omnibus Diis te posternis *sub omni arbore viridi, & clivo alto*, h. e. iis omnibus servis. Ulterius vero, quo magis appareat rei fœditas, comparat cum animantibus maxime libidinosis. Postquam notasset jactantiam illorum hominum, qui negabant se esse idololatras, & volebant videri Deum colere, ac dicebant, ut meretrices solent, *non polluta sum, post Baalim*

Grot. ad Ier. 2, 23.

Buxt. Lex. Hebr. R. שרך

Ier. 2, 20.

Ier. 2, 23.

non

non ambulavi, vehementius invehitur, & *vide vias tuas in convalle* dicit, Hinnonis nempe, in qua horrenda illa peragebatur Idololatria, ut ipsi parentes traderent liberos suos Molocho immolandos: *Cognosce*, inquit, *quid feceris, camelus junior, quæ vias circumit*. Quasi dicat: Ne neges te fornicatam esse cum Baalim, cum id appareat vel ex valle Hinnonis, & ex eo quod feciſti, tu, quæ instar cameli junioris, quę libidinis æstro percita huc illuc vagatur, marem quærens, fervore idololatriæ undique discurris, Baalim quærens quibus te prosternas. Neque contentus Propheta, gentem Judaicam camelum vocare catulientem, pergit porro, & onagrum vocat, fœminam nempe, quæ ubi eminus olfecit marem, ţà nemine inhiberi potest quominus ad eum currat, imo quæ neminem recusat vel in ipsis menstruis. Hic enim sensus est versus sequentis, uti prolixe possemus ostendere. Quæ quidem de hoc obscuro & intricato loco non inepte nobis videmur animadvertisse. Ier. 2. 24.

V. Uti calcei & soleæ apud veteres plerumque ex corio conficiebantur, ita & corrigiæ, sive teretes habenæ, ex corio fiebant. Legimus quidem vinculis aureis nonnullos olim sua calceamenta pedibus aptasse, uti Athenæus de Parrhasio refert: χρυσοῖς τε ἀναστατοῖς ἐπέσφιγξε τῶν βλαυτῶν τὰς ἀναγωγέας, *aureis habenis constringebat calceorum ansas:* De quibus etiam viri doctissimi illud Manilii interpretantur:

Athen. lib. 12.

Manil. lib. 5.

Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.

Quod tamen de periscelidibus, sive catenulis aureis, quas ornatus gratia mulieres circum crura gestabant, sequenti capite ostendemus intelligendum esse. Sed plerumque, pariter uti soleæ, ex corio fuerunt veterum corrigiæ. Hinc Isidorus à corio corrigias vult dictas: *Corrigiæ*, inquit, *à corio vocantur.* Unde & *lora* dicuntur. Juvenalis:

Isid. Orig. lib. 19. cap. 34.

Schol. Iuven.

Vel nodus tantum & signum de paupere loco,

ad

ad quem locum Scholiastes *lorum* exponit *Parthicam corrigiam*. Apud Hebræos veteres etiam corrigias calceamentorum ex corio fuisse non dubitandum videtur. Etenim, uti ipsorum soleæ ex corio conficiebantur, quod prolixe superius docuimus, ita & corrigiæ sive habenæ teretes ex corio fuerunt. Hinc Talmudici corrigiam vocant עור הסנדל *corium calcei*, & שנץ, quod *lorum* notat ex corio confectum. Nata hinc est inter Hebræos loquendi ratio παροιμιώδης, qua pro re vili, & fere nihili, calceamenti corrigiam usurpant. Nam uti calcei, cum ex corio essent, fuerunt vilissimi, etiam corrigiæ non magni pretii sunt habitæ. Iam ab antiquissimis temporibus hic loquendi modus usitatus fuit. Regi Sodomæorum dicit Abrahamus, se ex omnibus quæ ipsius erant, *non filum, vel corrigiam calceamenti accepturum*. Scilicet Abrahamus, cum indicare vellet, ne vilissimum quid se accepturum in præmium pugnæ, hoc est, nihil omnino, calceamenti corigiam appellavit, quasi nihil vilius tenuiusque dici posset,

cap. 2.

Talm. Schabbar fol. 60. in Misna. & Mikvaoth cap. ult.

Gen. 14. 23.

calceamenti vinculo. In hunc sensum jam olim Chrysostomus hæc verba explicavit, & ex eo Martinus Delrio formulam esse adagialem monuit, qua negat Abrahamus se calceamenti corrigiam, hoc est, nihil omnino, ne vilissimum quidem, ex præda acceptu-rum. Sed hanc mentem esse hujus loquendi formulæ nemo interpretum ignorat.

Chrys. Hom. 25. in Gen.

Delr. Adag p. 1. Num. 17.

VI. Desumpta est ab his corrigiis, sive vinculis, quæ plane necessaria sunt in soleis, alia loquendi apud veteres ratio, qua *vincula demere*, *vinclis pedem exuere*, *vinclis crura resolvere*, pro calceos sive soleas exuere usurpant. Ovidius:

Ovid. 3. Metam.

Vincla duæ pedibus demunt. ——

Virgilius:

Virgil. 3. Æn.

Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta.

Ovidius:

Ovid. 3. de Arte amandi.

Arida nec vinclis crura resolve tuis.

Sed & *detrahere vincula* dixerunt. Tibullus:

Tib. Lib. 1. Eleg. 5.

Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Quod

Quod Terentius dixit *ſoccos detrahere*, in illo vulgato: *Accurrunt ſervi, ſoccos detrahunt.* Similis loquendi ratio apud Jeſaiam exſtat, quam tamen aliter intellexerunt interpretes. Gentem validam contra Judæos ſe excitaturum minatur Deus, quæ ſemper foret in procinctu atque ad ducum nutum parata, *in qua non eſſet defeſſus aut labans, nullus qui dormitaret aut dormiret, nemo cujus zona ſolveretur, aut* נתק שרוך נעליו *detraheretur corrigia calceamenti ejus.* נתק in *rumpendi* ſignificatione accipiunt interpretes, & quemadmodum iis, quibus in itinere corrigiam calceamenti contingit abrumpi, non parvo abruptio illa impedimento eſt, ita ut iter inceptum retardet, ita hic indicari nullam moram objici ipſorum conſiliis volunt. Qui quidem mihi non videntur obſervaſſe hoc non impersonaliter intelligendum eſſe, ſed active, uti vulgo loquuntur. Etenim hic non dicitur, *non ſolvetur zona ejus, aut rumpetur corrigia calceamenti ejus*, ut ad ſiniſtrum aliquem caſum referatur, ſed idem eſt ac ſi dictum ſit. *Non ſolvent zonam,*

Terent. Heaut. Act. I. Sc. I.

Iſ. 5. 27.

nam, aut detrahent corrigiam calceamenti. Gentem enim spectat validã, quam non tantum prædicat Propheta, *nullum in ea esse defessum aut labantem, nullum qui dormitaret aut dormiret*, verum etiam *neminem zonam suam soluturum, aut detracturum corrigiam calceamenti.* Ut non referri possit ad abruptionem corrigiarum, quæ non parvo properantibus impedimento est, sed descriptio sit strenuorum hominum, qui *neque zonam solvent, aut detrahent corrigiam calceamenti.* Scilicet Propheta canit, eam gentem, quam contra Iudæos excitaret Deus, semper futuram in procinctu, atque ad ducum nutum paratam, ita ut ne quidem unquam calceos extraheret. Quod quidem indicare videtur totius narrationis series. Sane, *non solvetur zona ejus*, nulla alia ratione intelligi potest, quam homines futuros semper ad prælium paratos. Unde optime ad hæc verba notarunt viri eruditissimi, qui novissimam Belgarum versionem notis illustrarunt: *Sy sullen steeds veerdigh zijn om te strijden, staande gewapent tot aller ure.*

Belgæ ad h. l.

hoc

hoc est, *semper parati erunt ad prælium, omnibus horis armati.* Quare nec id quod sequitur, *non detrahetur corrigia calceamenti ejus*, aliter intelligi potest, quam illos nunquam calceos extracturos. Unde verbum נתק non ea notione sumerem, qua acceperunt interpretes, sed quam & alias obtinet, cum *detrahere* significat. Locus evidens est apud Ieremiam, in quo nihil aliud, quam *detrahere*, significare potest: *Si esses annulus in dextra mea*, dicit Deus de Chonia Iojakimi filio, Rege Judæ, משם אתקך *inde detraherem te.* Ut, *non detrahetur corrigia calceamenti ejus*, mihi sit, non exuet calceum suum: quo sensu à Tibullo itemque Terentio verbum *detrahere* usurpatum est. Quæ quidem elegans strenuorum militum est descriptio, qui ut ad omnia sint parati, nec sonam solvunt, nec caligas exuunt. Ier. 22. 24.

VIII. Vir doctissimus Benedictus Balduinus aliter longè hunc locum exponit. Observat veteres, cum calceamenta pedibus inducerent, eaque pressius adstringerent, si quando corrigiam con- Bald. de Calc. Ant. cap. 21.

tingeret effringi, malum omen credidisse, adeo ut susceptа negotia desererent, uti diserte testatur Cicero in Divinatione, ubi sic ait: *Quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternutamenta erunt observanda &c.* atque illud omen veteres portendere credidisse, rem susceptam haud feliciter progressuram, aut siniſtro aliquo casu impediendam: quemadmodum iis, quibus in itinere corrigiam calceamenti contingit abrumpi, non parvo abruptio illa impedimento est, ita ut iter inceptum retardet. *Unde*, addit, *qui sacram paginam Glossa, quæ dicitur ordinaria, illustravit, locum illum Jesaiæ:* Non rumpetur corrigia calceamenti ejus: *Apposite sic interpretatur:* Non impedietur in itinere Dominus. *Ut eum significet re nulla retardandum, quin brevi sit in hostes iracundiæ suæ tela, vindice dextra contorturus.* Sed, præterquam quod ex iis, quæ à nobis observata sunt, satis appareat, non ad omen aliquod hoc pertinere, sed ad militum summam alacritatem, qui ne quidem

Cic. de Divin. lib. 2.

zonam ſolverent, vel calceos exuerent, erravit plane Gloſſe, quę dicitur, Ordinariæ compilator, atque in errorem induxit elegantiſsimum Balduinum. Etenim non de Domino dicitur, *non rumpetur corrigia calceamenti ejus*, ſed de gente valida atque expedita, quam contra Judæos ſe excitaturum Dominus minatur.

VIII. Prætermittendum hic non eſt, apud veteres proprium fuiſſe ſervorum miniſterium, & quidem viliſsimum, ſolvere corrigias, ſive vincula calceorum domini, h. e. exuere calceos, uti jam dudum obſervarunt homines eruditi. De Græcis locus eſt apud Platonem: Plato in Sympoſio. Ὑπολύετε, inquit, παῖδες, Ἀλκιβιάδην, ἵνα κατακέηται: *Solvite calceos, pueri, Alcibiadæ, ut accumbat.* Et apud Æſchylum: Æſch. in Agam.

——— ὑπαί τις ἀρβύλας
Λύοι τάχος, πρόθυλον ἔμβασιν ποδός.

Aliquis mihi ſoleas ſolvat ocyus, queis itinerantis induebantur pedes. De Romanis idem conſtat vel ex illo vulgato apud Terentium: Terent. Heaut. Act. I. ſc. II *Accurrunt ſervi, ſoccos detrahunt.*

Plaut. Truc. Act. 2. sc. 4. ibid. sc. 5.

Apud Plautum Dinarchus servis imperat:

——*Deme soleas, cedo, bibam.*

Et Phronesium Ancillæ:

——— *Eho Pithecium,*
Face ut accumbam: accede. adjutare sic decet puerperam.
Soleas mihi deme.

Lucil. Sat. lib. 3.

De servis Lucilius canit:

Cernuus extemplo plantas convestit honestas,
Et pedibus læva scytonia demit honesta.

Tib. lib. 1. Eleg. 5.

Hinc Tibullus cum vellet exprimere ad omne officium, etiam abjectissimum, pauperem fore præsto, ministerium solvendi calceorum corrigias adjungit:

Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit
Primus, & in tenero fixus erit latere.
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ,
Subjicietque manus, efficietque viam.
Pauper ad occultos furtim deducet amores,
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede

Apud.

Apud Hebræos veteres idem etiam habitum fuit ut viliſſimum miniſterium. Hinc poſsideri ſervum maxime volebant, ſi emptori ſervilia aliqua præſtitiſſet opera, inter quæ inprimis memorant, שהחיר מנעל לרבו או הנעילו, *ut ſolvat domino calceamentum ſuum, aut illud induat.* Scilicet inter viliſsima miniſteria recenſebant calceorum vincula ſolvere, & calceos extrahere, atque hinc cum ſervum emerent, non alia oppignoratione utebantur, ut conſtaret eum in alterius domini poteſtatem migraſſe, quam ut calceos ejus ſolveret & indueret. Ex Maimonide, qui id ipſum hauſerat ex Talmude, hoc obſervavit vir doctiſsimus Johannes Lichtfotus. Talmudicorum verba adſcribi merentur; עבד קטן כבהמה דמו תנו רבנן כיצד בחוקה החיד לו מנעלו או הוליד אחריו לבית המרחץ הפשיטו הרחיצו סכו גרדו הלבישו הנעילו הגביהו *Parvus ſervus eſt veluti jumentum, tradunt magiſtri noſtri. Quomodo emitur ſervus* בחוקה? *Solvit ementi calceum, portat poſt eum quæ ei neceſſaria ad balneum, deveſtit eum, lavat, ungit, fricat, reveſtit,*

Maim in מכירה cap. 2. Gem. Bab. Kiddu-ſchim fol. 22. 2. Licht. ad Matth. 3. 11.

veſtit, induit calceos, ac à terra levat. Videri etiam poteſt Moſes Mikotzi. Hinc natum eſt Iohannis Baptiſtæ dictum, qui, ut ſe quam maxime præ Chriſto deprimat, indignum dicit, Κύψας λῦσαι τὸ ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτῦ, *incurvatum ſolvere corrigiam calceamentorum ejus*, quod referunt tres Euangeliſtæ, Marcus, Lucas, Johannes, & Apoſtolus Paulus. Id idem eſt ac ſi dixiſſet, non ſum dignus ut ſim illius ſervus, aut hoc viliſsimum obeam excalceandi munus. Huc facit, ſicut etiam obſervatum eſt viro præſtantiſsimo Johanni Seldeno, quod in Gemara Babylonica legitur. כל מלאכות שהעבד עושה לרבו תלמיד עושה לרבו חוץ מהחרצת לו מנעל אלא במקום שאין מכירין אותו אבל במקום ליצת לן בה *Omne genus operis quod à ſervo domino ſuo præſtandum eſt, id etiam à diſcipulo magiſtro ſuo eſt præſtandum, præter ſolutionem calcei ejus. Quæ tamen exceptio obtinet tantum, ubi diſcipuli conditio non ſatis dignoſcitur. Nam ſi ea ſatis dignoſcatur etiam & illud munus præſtandum.* Cavent Rabbini, ut in iis locis

Moſes Mi. Præc. affir. 3. & neg. 177.

Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. Ioh. 1. 27. Act. 13. 25.

Seld. de I. N. & G. l. 6. c. 8. Gem. Bab. ad tit. Cethuboth cap. 11. fol. 96. a.

cis tantum magistro suo id officium non præstet discipulus, ubi non satis notum est eum esse discipulum, ne ex ipso opere existimaretur servus, cum alias, ubi notum est ipsum discipulum esse non vero servum, hoc etiam officium à discipulo præstari suo magistro velint. At Johannes Baptista, quo se magis deprimat, & Christum extollat, ne ad hoc quidem officium dignum se pronuntiat, ut solvat & exuat calceos ejus. Dictum Johannis Matthæus refert: οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι. Sed de eo loco infra prolixius. Matth. 3. 11. lib. 2. cap. 8.

CAPUT OCTAVUM.

Calceus immundißima pedum tutela. In eo tamen magnus olim luxus, præcipue fœminarum. Hebræorum mulieres iis luxuriasse multi observant ex Jes. 3. 18. עכסים *an calcei? Multa & diversa istius vocis interpretamenta.* עכסים *ornamentum simile com-*

compedi. Talmudicorum & Maimonidis sententia. Compedes aureas in pedibus, itidem ut armillas in brachiis, in Oriente fœminæ gestarunt. Qui mos etiamnum obtinet. Periscelides in mundo muliebri apud Græcos & Romanos. De periscelidibus loca Senecæ, Plinii, Petronii, Manilii, cum Salmasio & Ferrario explicata. A Rubenio dissensum. Locus Jes. 3. 16. exponitur. Petronii Satyricon quatuor locis emendatum.

I.

QUamvis calceus *immundissima pedum tutela* sit ex sententia Tertulliani, ut pote qui pulvere & luto sæpe est sordidus, quod eleganter exprimit Querolus non Plautinus, apud virum incomparabilem Claudium Salmasium:

Tert. de Pal. cap. 5. & ibid. Salm.

Sume

Sume laneos cothurnos, ſemper refluos calceos,
Quos pluvia ſolvat; pulvis compleat, cænum & ſudor glutinet.
Sume calceos humili fluxos tegmine,
Quos terra revocet, fraudet limus concolor.

Magnus tamen in calceis fuit veterum luxus. Præcipue inter mulieres, uti hoc genus eſt ad ſuperbiam proclive, pompa in calceis olim ſumma fuit. Perſtrinxerunt hoc vitium patres antiquiſsimi, Tertullianus, & Clemens Alexandrinus. Videri etiam poſſunt quæ collegerunt viri eruditiſsmi Nicolaus Serrarius, Benedictus Balduinus, & Philippus Rubenius. Tert. de cultu Fœm. cap. 7. Clem. Alexand. Pædag. l. 2. c. 11. Ser. in Iudith cap. 10. Bald. cap. 6. Rub. Elert. l. 2. c. 14.

II. Si multis ſacrorum voluminum interpretibus fides, etiam mulieres Hebræorum veterum, & præcipue virgines, luxum non mediocrem in calceis poſuerunt. Perſtringit Jeſaias ſeculi ſui vitia, atque inter alia quæ Deum ablaturum dicit, הפארת העכסים commemorat, quæ *ornamenta calceorum* multi interpretantur. Ita Chaldæus habet השבהרת מכניא, quod eſt Ieſ. 3. 18.

est, uti Vulgatus reddit, *ornamentum calceorum*. Abarbanel existimat, filias Zion, eo quod eminuisse dicantur, altis usas fuisse calceis, ad magnitudinem staturæ corporis conciliandam. Quod etiamnum solemne esse apud Venetos, atque inde natum dicterium facetum & salsum viri maximi Julii Cæsaris Scaligeri in Italicas mulieres & earum maritos, quos *uxorum suarum dimidium in lectis genialibus amplecti, altero earum dimidio cum calceis deposito*, dixit, videre est apud elegantissimum Balduinum. Imo ex R. Jischak addit Abarbanel, *quod calceamentis suis indiderint myrrham & balsamum, & conculcaverint in pavimento.* Ex recentioribus quoque complures *ornamenta calceorum* exponunt.

Abarb. ad h. l.

Bald. de Cal. Ant. pag. 147.

III. Non mirum multos interpretes in hanc sententiam adductos, cum vox עכסים sit obscura, & ab omni tempore varie reddita. LXX. habent: τὴν δόξαν τῶν ἱματισμῶν αὐτῶν. Abarbanel etiam monet filias Zion pedibus suis induxisse עכסים, quarū agitatione tanto melius audirentur, aut quod portaverint mundum pretiosum

Abarb. ad h. l.

tiosum in pedibus suis, è gemmis scilicet aut margaritis, ac motu suo pedem pedi alliserint, ut hac ratione monilium sonantium perciperetur strepitus. Placuit hoc Kimchio, qui עכסים vult fuisse crepitacula tinnientia, quæ mulieres in pedibus gestarunt. Meminit hujus sententiæ Franciscus Vatablus: *Alii volunt ornamentum pedum fuisse, non absimile illi, quo utuntur mulieres Hispanæ, quæ crepidas gestant cum tintinnabulis dum saltant.* Eam amplectitur vir illustris Hugo Grotius. *Sed* עכס, *ut docent nos Hebræi, erant crepitacula in pedibus mulierum, quibus inter saltandum utebantur.* R. Levi Ben Gerson: העכסים חם כמו תכשיטין נושאות אותן ברגליהן כאמר וברגליהן תעכסנה *Achasim sunt sicut ornamenta, quas gestant mulieres in pedibus suis, juxta id quod dicitur, & in pedibus suis* תעכסנה. Alludit ad ea verba, quæ paulo superius apud Prophetam nostrum occurrunt. Magnus Theologus Franciscus Junius ornamenta vult fuisse cruralia, quibus veluti compedibus, utrique cruri alligatis, discerent modificare gressus. Præi

Kimchi ad h. l.

Vatab. ad h. l.

Grotius ad h. l.

R. Levi ad Prov. 7. 22.

Iun. ad h. l.

verunt

Talm. in Schabbat. verunt viro magno Talmudici, qui hæc ornamenta gestare consuevisse Hebræorum puellas volunt, ne passus facerent majores, & detrimentum accederet earum virginitati. Belgæ reddiderunt *het ciraat der coussebanden*, nescio quos infelices interpretes secuti. Johannes Mercerus, Hebraicę literaturę magnum decus, ex quorundam sententia tradit fuisse mera ornamenta, instar compedium, quibus ornabantur. *Perisceli*des reddunt viri doctissimi Buxtorfius & Coccejus, quam interpretationem alii quoque amplectuntur, inprimis vir summus Ludovicus de Dieu.

Merc. ad Thesau. Pagn.

Buxt. Lex. Hebr. Cocc. Lex. Hebr. De Dieu ad h. l.

IV. Horum sententia sola vera est, cum evidentibus rationibus ostendi possit עכסים nihil aliud quam *compedes* sive *periscelides* esse, qua sin cruribus mulieres gestarunt, ut cadere necesse sit omnium interpretum conjecturas, & maxime eorum, qui vocem עכסים de *calceamentis* acceperunt. עכס *compedem* notare minime est dubium. In Salomonis Proverbiis ea vox occurrit hoc significatu: וכעכס אל מוסר אויל *& tanquam in compede ad casti-*

Prov. 7. 22.

castigationem stulti. Qui meretricem sequitur, à Salomone cum bove comparatur, qui ad macellum ducitur, & cum stulto, qui in vincula sive compedes se implicat. A עכס, quod *compedem* notat, est plurale עכסים, quod nihil aliud quam *compedes* significare potest. Cum vero עכסים sint inter mulierum ornamenta, quid aliud intelligemus quam ornamentum, quod similitudinem compedum habet? Vidit hoc Aben Ezra, qui notavit העכסים דומים לכבל *Aschasim similes esse compedi.* Neque abludunt Talmudici, qui pariter כבלים appellant, & disputant an sit licitum cum eis egredi in Sabbatho. Quid autem sint כבלים in Gemara traditur: *Catenulæ videlicet aureæ, quibus pedes ligabant puellæ, ne nimis latos facerent passus.* Quod etiam in Glossa, & in libro suo Jad Chazaka Rabbinorum doctissimus Moses ben Maimon scribit. Qua in re, uti vanum atque futile est quod de כבלים tradunt Talmudici, eum in finem gestatas fuisse ab Hebræorum puellis, ne passus facerent majores, & detrimentum accede-

Aben Ezra ad. h. l. Talm. in Schabbat. & in Gem. cap. 6.

Maim. in Glossa, & Iad Chas. Tract. de Sab. cap. 10.

accederet earum virginitati, ita recte notatum credo, catenulas aureas sive compedes fuisse. Quod Maimonides confirmat, qui ornamentum pedum fuisse putat, quales armillæ fuerunt brachiorum. כבלים עכסים בצורת האצערדה *Kebalim sunt Achasim ad formam armillarum.* Scilicet *Kebalim*, qua voce Talmudici utuntur pro pedum ornamento, cum quo fas non est egredi Sabbatho, idem cum *Achasim* esse observat, & in modum armillarum fuisse. E quibus colligere proclive est, עכסים nullum aliud fuisse ornamentum, quam compedum aurearum, quas in cruribus gestabant mulieres.

Maim. in Glossa ad Tract. Sabbat. cap. 6.

V. Hoc fiet longe verisimilius, si attendamus ad morem veterum, qui non in Oriente tantum, verum etiam apud Græcos atque Romanos fuit, ut mulieres aurea vincula vel compedes in cruribus gestarent. In Oriente, uti magnus olim fuit armillarum usus, qui jam invaluerat ætate Abrahami, ita עכסים, hoc est aureas compedes instar armillarum, in pedibus mulieres habuerunt. Quod quidem

Gen. 24. 20.

quidem olim in Oriente tam frequens fuit, ut etiam nunc hic mos obtineat. Monuit id ex ore viri CL. Iacobi Golii vir ſummus Ludovicus de Dieu. Poſtquam eorum recitaſſet ſententiam qui עכסים *periſcelides* volunt, hæc ſubjungit. *His aſſentimur, poſtquam à doctiſſimo viro D. Golio, qui per Orientem peregrinatus eſt, accepimus, uſitatum etiammum eſſe in Oriente in opulentioribus familiis, ut infantum pedes circa talos laminis aureis unius aut duorum digitorum, interdum & quatuor ubi adultiores ſunt, latitudine, tanquam compedibus concludantur, non ad tinnitum faciendum, neque ad greſſus modulandos, ſed ſolius ornamenti & opulentiæ teſtandæ gratia, ut & Propheta hic vocat* והאהרת העכסים *ornamentum compedum. Neque ſunt compedes quibus pes pedi alligatur, ut cum equi aut muli tollutim incedere docentur, ut volebat D. Junius, ſed ſingula compes ſingulo pedi aptatur ſeorſim, eumque ambit.* Apud Græcos etiam earum uſum frequentem fuiſſe Pollux docet, apud quem ἐν γυναικείῳ κόσμῳ *in mundo muliebri* ponuntur: περισφύρια, περι-

De Dieu ad h. l.

Pol. lib. 2. cap. 16.

περίδες, περισκέλια & tandem περισκελίδες. *Periscelides* vero sunt, ut in Glosis est, *Ornamenta vel circuli aurei crurum muliebrium.* Omnes enim errant qui *periscelides* femoralia putant. Ita Julius Nigronus. *Nam etsi σκέλος sit crus, unde periscelides; tamen non tibialia dicuntur periscelides, sed femoralia.* Omnino perperam, cum *periscelides* nihil aliud sint quam ornamenta crurum muliebrium. Quomodo & Horatii Scholiastes ad hæc verba:

Nigron. de Caliga pag. 12.

Schol. Horat. ad lib. 1. Ep. 17.

Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis ——

Periscelidem interpretatur: *Ornamentum pedis circa crura.* Maximus Salmasius *periscelidem* describit vinculum aureum, quod in cruribus gestabant mulieres solæ, atque hæc verba Senecæ de *periscelide* interpretatur, ubi Herculi apud Omphalem agenti tribuitur, quod

Salm. ad Lampridii Alex. Sev.

Sen. in Hyp. Act. 1. vs. 121.

Crura distincto religavit auro
Lineo plantas cohibente socco.

Quæ

Quæ magnus Casaubonus, eumque secuti Thomas Dempsterus, Benedictus Balduinus, & alii nonnulli, de fasciis cruralibus non recte acceperunt, cum nunquam annulus aut vinculum aureum fascia dicatur. Rectissime sane: Casaub. ad Suet. Aug. c. 82. Dempst. ad Rosin. Pag. 433. Bald. de Calc. Ant. cap. 16.

Crura distincto religavit auro,

non nisi de *perisceli*de capi potest, quæ vincula sive compedes ex auro fuerunt, quibus sibi mulieres ornamenti gratia crura vinciebant, & armilla cruralis potius diceretur quam fascia, uti monuit ὁ πάνυ: Id enim ostendunt Senecæ verba præcedentia:

Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis.

Scilicet post ornatum digitorum atque capillorum, addit:

Crura distincto religavit auro,

ut significet aureas compedes sive *periscelides* inter pedum ornamenta fuisse. De iisdem Octavius Ferrarius, decus sui Patavii, hunc locum Plinii exponit. *Habeant fœminæ in armis, digitisque totis, collo,* Ferrar. de Re Vest. P. 1. l. 3. c 17. Plin. lib. 33. cap 3.

lo, auribus, ſpiris: diſcurrant catenæ perlatera, & inſerta margaritarum pondera è collo dominarum pendeant: etiamne pedibus induitur, atque inter ſtolam plebemque hunc medium fœminarum equeſtrem ordinem facit. Hæc videlicet poſtrema verba de *periſceliis* & aureis pedum vinculis interpretatur. Aliter quidem de hoc loco diſputat vir politiſſimus Albertus Rubenius, atque hæc pedum vincula anſas ſive obſtrigilla ſolearum fuiſſe putat, quæ ex auro erant. Sed hæc caſtigavit Octavius Ferrarius, maxime cum in re ſimili dicat Plinius: *Argentum ſuccedit ex re aliquando & auro, luxu fœminarum plebis, compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tritior vetat.* Quem locum fruſtra doctos viros calceorum ornatum explicare contendit, cum de crurum vinculis Plinius loquatur, quæ argentea à plebe geſtata innuit, cum jam aurea faſtidiri cæpiſſent. Cui expoſitioni Octavii Ferrarii eo lubentius accedo, quia Plinius hæc ornamenta *compedes* vocat, eodem modo uti Hebræi עכסים appellant, quæ vox eorum lingua

Rub. de Re Veſt. l. 1. c. 16.

Fer. in Analect. cap. 21. Plin. lib. 33. c. 12.

lingua *compedem* notat. Cum Ferrario de his *perisceli*dibus etiam caperem Petronii & Manilii loca, quæ Albertus Rubenius itidem de ansis sive obstrigillis accepit. Mulierem omnibus simulacris emendatiorem ita Petronius describit:

Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus, Parium marmor extinxerat. Petron in Satyr.

Sane auri gracile vinculum ego nihil aliud fuisse quam *perisceli*dem puto. Manilius vero inter alia ornamenta recenset: Manil. lib. 5.

Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.

Quem locum non Rubenius tantum, verum etiam alii homines eruditissimi de ansulis sive obstrigillis interpretati sunt Mihi vero de aureis pedum vinculis sive *perisceli*dibus intelligendum esse præcedens versus ostendere videtur:

Perque caput ducti lapides, per colla manusque.

VII. Docere hæc possunt quid Propheta velit, cum paulo ante

Ies. 3. 16. in filiabus Zion culpet ומרגלותיהן תעכסנה, quæ verba variè reddunt interpretes, ut solet fieri in vocibus quæ tantum semel aut raro reperiuntur. Nulli dubium esse potest cum עכס sit *compes*, h. e. ornamentum instar *compedum* quod in cruribus mulieres habuerunt, quin verbum inde deductum *compedes gestare*, vel *compedibus vincire* notet. Ut omnino sit, *& in pedibus compedes gestant.* Quod quidem cum tota orationis serie optime convenit. Sed hoc præter viros summos Buxtorfium, Coccejum, de Dieu, & complures alios, etiam rectissime monuerunt accuratissimi Belgæ interpretes, quorum hæc est nota: *Maar de meeste en voornaamste verstaan 't van kostelijke boeykens, of verçierselen aan de voeten, hebbende het fatsoen van boeykens.* h. e. *Sed plurimi & præcipui intelligunt de pretiosis compedibus, aut ornamentis pedum, quæ habebant formam compedum.* Quod tamen in versione sua non expresserunt, in qua habent: *En als of hare voeten gebonden waren*, hoc est, *& quasi pedes earum vincti essent.* Vertendum:

Buxt. & Cocc. in Lex. Hebr. de Dieu ad h l. & Belgæ.

dum: *En dragen boeykens*, of *ringen, aan hare voeten*, hoc eſt, *geſtant compedes* vel *annulos in pedibus.*

VIII. Quæ de aureis compedibus, ſive pedum ornamentis, quæ *periſcelides* vocantur à priſcis ſcriptoribus, diſputata ſunt, in memoriam mihi revocant *peryſtilii* vocem, quam non ineptè mihi videor Petronio reddidiſſe, cujus locus vulgo corruptiſsime legitur. In medio ferè Satyrici Lycas ſomnium ſuum narrat: *viſum ſibi eſſe Priapum ſecundum quietem dicere, Eucolpion, quem quæris, ſcito à me in navem tuam eſſe perductum: Tryphæna vero reſpondet, putes nos una dormiiſſe, nam & mihi ſimulachrum Neptuni, quod * Baiſtor aſylo notaveram, videbatur dicere, in navi Lycæ Gitona invenies.* Viros eruditiſſimos torquent verba mendoſa, *quod * Baiſtor aſylo notaveram.* Illuſtriſsimus Joſephus Scaliger legendum cenſet, *Quod Bais ceſtro ac ſtylo notaveram.* Bourdelottius dubitanter, *quod Bais ter aſylo notaveram.* Gonſalius vero, nobilis Hiſpanus: *Quo Deo nuncupata vota*

Petron. Satir.

Bais ter ſtylo notaveram. Miror profecto tot doctos homines, qui Petronium recenſuerunt, latere potuiſſe, legendum: *Quod Bais in peryſtylio notaveram. Periſtylium* locum eſſe columnis cinctum, quales ſolent eſſe ambitus atriorum in magnatum ædibus, & olim fuerunt omnium templorum, nemo ignorat. Uſus ea voce Suetonius: *Æſtate apertis cubiculi foribus, ac ſæpe in periſtylio, ſaliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat.* Quam conjecturam jam dudum probavi viro ingenio & doctrina recondita inprimis hujus ſeculi conſpicuo, Johanni Georgio Grævio, cujus judicio multum tribuo. Sed & alia, quæ eo tempore in Petronii Satyrico emendabam, magno doctori noſtro placuerunt. Non multo poſt pro eo quod vulgo legitur: *Utinam quidem ſufficeret largior ſcena &c. non me Hercules pœnam iſtam differrem:* Palmerius, Pithæus, Guilhelmius, Fr. Daniel, & Janus Douza legunt, *peram iſtam differrem. Pera* autem ipſis eſt Græcorum πεῖρα, *tentamentum* ſive *experimentum*, ut *peram iſtam*

Suet. in Aug. cap. 82.

non

non differrem, sit, non differrem experiri. Mihi vero legendum videbatur, *Non me Hercules peram istam diu ferrem*, hoc est, cito abjicerem istam peram mendicorum gestamen. Quam conjecturam sequentia confirmant; *Sed continuo vos ad magnas opes ducerem.* In elegantissimo carmine de Bello Civili, inter seculi sui luxum recenset, quod

—— Siculo Scarus æquore mersus
Ad mensam vivus perducitur, inque Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cænas.

Vir eximius & singularis eruditionis Hadrianus Junius, pro *vendunt* legit *condunt*. Sed id merito Colladonius improbat, qui tamen inepte retinet *vendunt*, & explicat *pretiosas faciunt*. Neque melius vir plurimæ lectionis Caspar Barthius, qui hæc verba declarat: *Totarum cænarum pretiis conchylia comparantur*. Mihi legendum videbatur *tendunt*. *Tendunt conchylia cænas*, est extendunt, diutius protrahunt, scilicet

Ut renovent per damna famem ——

quod mox ſubjungitur. Vitium quoque mihi deprehendere viſus ſum, interpretibus non animadverſum, non procul ab initio Satyrici. Narrat auctor lepidiſsimus, *Eucolpium cum Aſchylto deficiente jam die veniſſe in forum, raptumque latrocinio pallium detuliſſe, cujus extremam laciniam cum cæpiſſent concutere, ſi quem forte emptorem ſplendida veſtis poſſet adducere, ruſticum quendam acceſſiſſe, qui diligentius conſiderare pallium cæpit. Aſchylton vero cum ſupra humeros ruſtici contemplationem injeciſſet, animadvertiſſe eum ipſum eſſe, qui tuniculam in ſolitudine invenerat, eamque adhuc intactis aureis plenam eſſe, & Eucolpio indicaſſe theſaurum illum rediiſſe. Quem cum Eucolpius legibus repetere vellet, Aſchylton contra leges timuiſſe, cum illos eo loco nemo noviſſet. Itaque Aſchylto plane placuiſſe, ut emerent, cum longe foret conſultius parvo ære theſaurum comparare, quam in ambiguam litem deſcendere. Sed cum præter unum dupondium ſicilicumque, quibus lupinos*

lupinos destinaverant mercari, nihil ad manum esset, ne interim præda discederet, vel minoris pallium addicere voluisse, ut pretium majoris compendii leviorem faceret jacturam. In postremis verbis mendum latere mihi visum est, & scribendum: *Ut pretium majoris compendii levior faceret jactura.* Hoc enim dicit Petronius, *illis placuisse pallium minoris addicere*, id est minori pretio quam justum erat vendere, ut *levior jactura* in pallio, *pretium faceret majoris compendii*, h.e. pecuniam suppeditaret qua majus lucrum facerent, id est illam tuniculam, intactis aureis plenam, possent emere. Sed hæc præter institutum & pensum nostrum, ad quod nos revocamus.

CAPUT NONUM.

Lunula Patritii calcei apud Romanos ornamentum. Hebræorum fœminas lunulis calceos ornasse conjicit Balduinus ex Jes. 3. 18. Error Balduini & Vulgati interpretis. Frequens in

oriente lunularum usus vetustißimis temporibus. Ex Lunæ cultu ortus. Cur Muhammedani templorum fastigiis lunulas imponant? Lunulæ non calceorum sed colli ornamentum. Multorum circa formam lunularum error. Lunula ornamentum instar Lunæ corniculantis. Lunæ nomen מני *Jes. 65. 11. nemo interpretum videtur intellexisse. Variæ sententiæ.* מני, *à* מנה *numerare, Lunam notat, quia per Lunas annos & menses veteres numerarunt. Simile Lunæ nomen in plerisque linguis. Arabum Idolum Menath Luna. Græcis Luna* Μήνη. Θεὸς Μῆνος *in Asia minore. Dea Mana apud Romanos. LXX. interpretum versio non intellecta explicatur.* Δαίμων *pro Sole &* τύχη *pro Luna. Ritus vetustissimus Ægyptiorum.*

I. Ro-

I.

ROmanos olim lunulas in calceis gestasse, & hoc summæ nobilitatis argumentum fuisse, quin Senatores Patritios lunatos calceos habuisse ut ab aliis distinguerentur, nemo, qui literis humanioribus vel leviter tinctus est, ignorat. Nam & plurima occurrunt scriptorum veterum loca, quæ harum lunularum faciunt mentionem, ad quas Poëtæ inprimis frequenter alludunt, & in exponendo hoc insigni calceorum ornamento multum studii operæque posuerunt, qui ingenio & doctrina præ cæteris, suo quisque seculo, floruerunt, Cœlius Rhodiginus, Johannes Pierius Valerianus, Alexander ab Alexandro Neapolitanus, Andræas Tiraquellus, Thomas Dempsterus, Benedictus Balduinus, Marcus Zuerius Boxhornius, Claudius Salmasius, Albertus Rubenius, Octavius Ferrarius, & complures alii qui notis vel commentariis priscos scriptores illustrarunt.

Cœl. Ant. Lect. lib. 20 cap. 26. Pier. Hierogly. lib 4. c. 23. Alex. ab Alex Gen. Dier. l. 5. cap. 18 Tiraq. ibid. Dempst ad Ros. p 440 Bald. de Calc. Ant. cap. 9. Boxh ad Quæst Ro. Plut. Salm. ad Dedicat. Statuæ Regillæ. Rub. de Re Vest. l. 2. c. 4.

II. Sed non soli fuerunt Romani, qui adsuta lunula Patritio-

Fer. in Anal. c. 35.

rum calceos ornarunt, id ipsum etiam factitatum est ab illustribus Hebræorum fœminis, si fidem habemus viro elegantissimo Benedicto Balduino. Is enim, cum multa de Patritiorum lunatis calceis disseruisset, idem in Hebræorum mulieribus sibi videtur observasse. *Idem*, inquit, *etiam ab illustribus Hebræorum fœminis olim factitatum, facile est ex Isaia colligere: ille enim mulieribus illis, quod in vestibus calceamentisque nimium essent luxuriosæ, divinam vindictam minitans*, in die illa, *inquit*, auferet Dominus ornamentum calceorum vestrorum, & Lunulas, &c. *Ubi non obscurè liquet, Lunulas illas, seu fibulas, (quæ sane vel erant aureæ, vel saltem argenteæ) ad ornamenta calceorum pertinuisse.* Putavit videlicet vir eruditus, *Lunulas*, quas apud Jesaiam post *ornamentum calceorum* enumerari videbat, ad calceos pertinuisse apud illustres Hebræorum fœminas, quales nempe fuerunt apud Romanos in calceis Patritiorum.

III. Verum erravit hic omnino elegantissimus Balduinus & deceptus

tus est ab interprete Vulgato. Tam facile in errores incidunt, qui Hebrææ linguæ ignari, solos interpretes consulere coguntur. Præcedenti capite ostendimus, חפארת העכסים *ornamenta compedum* esse, quas aureas in Oriente mulieres habuerunt ad ornamentum pedum. Ut plane erraverit Vulgatus interpres, qui *ornamenta calceorum* transtulit. Sed non minus peccavit cum id quod sequitur והשבים *& lunulas* reddidit: Etenim hæc vox non notat *lunulas*, sed ea quæ sequitur והשהרנים, quam etiam μηνίσκους verterunt Græci interpretes. Si apud Vulgatum verbis transpositis legamus, *& torques & lunulas*, melius hæc respondebunt vocibus Hebræis. Sed error Vulgati in alium pertraxit Benedictum Balduinum. Nam cum legisset Deum ablaturum *ornamenta calceorum & lunulas*, putavit *lunulas* ad ornamentum calceorum pertinere: quod tamen secus est. Etenim licet in Oriente frequens olim fuerit lunularum usus, nunquam tamen lunulæ ornamenta calceorum fuerunt. De Turcis quidem nonnulli

Herbert. Itiner. pag. 123.

nulli prodiderunt memoriæ, quod calceos habeant lunulis ferreis corniculantibus munitos. Sed vetustissimis temporibus inter ornamenta mulierum lunulæ aureæ fuerunt, quas non in calceis, sed è collo pendentes habebant.

IV. In Oriente fuisse frequentem lunularum usum liber Judicum ostendit, in quo inter ornatum Regum Midianitarum שהרנים fuisse legimus, quod ornamentum fuit lunularum in modum concinnatum. עקדה *torques* vertit quidem Jonathan, & Vulgatus tum *bullas* tum *ornamenta*, tamen qui ad Hebræam vocem diligentius adtenderunt *lunulas* reddiderunt. Μηνίσκους habent LXX. interpretes. Nisi quod uno in loco in Veneta & Complutensi editione legatur ψηλὴν τῶν στρώνων, quod est ipsum Hebræum שהרנים, unde στρῶνες, uti ex חברה factum est ζήβη, vel ζίβη, ex גיורא γειώρος *proselytus*, & sexcenta alia, de quibus eruditi monuerunt, ubi tamen in editione Romana est ψηλὴν μηνίσκων. Chaldæi pariter Lunam סהרא vocant, unde apud ipsos סהרונין

Iud. 8. 21. 26.

Iud. 8. 26.

sunt

sunt *lunulæ*, ornamenti genus, à Lunæ similitudine dictum, uti videre est in magno opere doctissimi Buxtorfii. Consentiunt Judæorum magistri qui vocem שהרונים exponunt חלי כדמות ירח *ornamenta ad similitudinem Lunæ*. Quam significationem plerique eruditi Hebrææ Linguæ interpretes exprimunt. Rectissime sane. Etenim שהרונים nihil aliud fuerunt quam ornamenta aurea ad Lunæ similitudinem concinnata, qualia non tantum Midianitarum Reges, verum etiam ipsorum cameli gestarunt, eodem modo uti in Parthenopæi equo apud Statium: Buxt. Lex. Talm.

Jactantur niveo lunata monilia dente. Stat. lib. 9. Theb.

Eodem ornamento uti consueverunt Arabes, & ab Arabibus ad Turcas propagata est hæc religio. Cujus rei origo non est obscura. Primam gentium Idololatriam à Solis atque Lunæ & cœlestis machinæ cultu cæpisse jam diu animadversum est à viris doctissimis. Videri possunt quæ Johannes Seldenus, Angliæ suæ decus, & Gerhardus Johannes Vossius, Batauiæ Seld. de Dis. Syris prol. 3. Voss de Idolol.

taviæ noſtræ magnum ornamentum, præclare docuerunt. Inprimis inter Arabum & Saracenorum & aliorum Orientalium Deos Luna fuit in ſummo honore. Fuerunt enim hæ gentes à vetuſtiſsimis temporibus Lunæ cultui perquam deditæ. Hinc in ejus honorem aurea monilia habuerunt, quæ ad Lunæ ſimilitudinem concinnata erant. Plane uti etiam num, qui Eccleſiæ Romanæ nomen dederunt, in honorem crucis aureas cruces inter monilia habent. Unde & Johannes Seldenus originem arceſsit moris Muhammedanorum, qui ſummis turrium & Moſchitarum faſtigiis lunulas imponunt, ut cruces Chriſtiani, quod in honorem Lunæ à Muhammede vetuſtioribus Hagarenis atque Saracenis factum putat, à quo antiquiſsimo ritu excepere Muhammedani, contra ac vult vir illuſtriſſimus Joſephus Scaliger, qui id fieri in Hegiræ Muhammedanæ, hoc eſt fugæ Muhammedis ex Mecca memoriam, quæ biduo poſt verum Lunæ coitum, in initio nempe Menſis Muharam, & anni

Seld. de Dis. Syris. Syntagm. 2. cap. 4.

Scal. de Emend. Temp. lib. 2. & 3. Canon. Iſagog.

anni Arabici lunaris, corniculante jam Luna accidit. Ab illo Orientalium more, cum Lunæ cultu etiam aurea monilia in Lunæ formam concinnata apud Hebræos fuerunt.

V. Uti constat frequentem in Oriente fuisse lunularum & quidem aurearum usum, ita etiam certum est inter Orientales populos colli ornamentum fuisse. Dubitare nos hac de re non sinit liber Judicum: In eo enim hæ lunulæ pependisse dicuntur de camelorum collis. Eodem modo uti in Pathenopæi equo

——— *Memorisque notæ sub pectore primo*
Fastantur niveo lunata monilia dente. Stat. lib. 9. Theb.

Animadvertisse hoc videtur Jonathan, qui Hebræam vocem per עקדין transtulit, quæ vox apud Chaldæos *torquem* notat, uti ab eadem collum עתקא vocant, & Vulgatus, qui *bullas* reddit. *Bullas* enim apud Romanos fuisse globulos auro conflatos, quos pueri ingenui de collo suspensos gestabant, vel illi noverunt,

runt, qui Romanas antiquitates à limine tantum salutarunt. Ut tum Jonathan, tum Vulgatæ versionis auctor, colli ornamentum expresserint. Quod Hieronymus confirmat, qui *ornamenta & bullas quibus colla regalium camelorum decorari solent*, exponit. Quam sententiam omnes recentiores interpretes suo calculo comprobant. Neque id latuit Belgas qui, cum vocem שהרנים in libro Judicum optime reddidissent *maankens*, hac nota explicarunt: *Die goudene halscierselen, die in 't Hebr. haren naam hebben van de mane:* hoc est, *aurea colli ornamenta, quæ Hebraicè nomen habent à Luna.* Qui tamen, nescio qua ratione inducti, cum apud Iesaiam eandem vocem recte vertissent *maankens*, *lunulas*, & addidissent: *Dit was een ciraat als maankens*, hoc est, *hoc erat ornamentum instar lunularum*, adjiciunt: *Heden ten dage dragen ook eenige in de oorlapkens kleyne maankens van Gout, Silver of eenigh gesteente, of peerlen*, hoc est, *Etiam hodie nonnulli in lobis aurium gestant parvas lunulas aureas, argenteas, aut monilia, aut gemmas*, quasi

Belgæ ad Iud. 8, 21.

Belgæ ad Iesa. 3, 18.

quasi loco inaurium hæ lunulæ fuissent, cum ornamenta fuerint quæ è collo penderunt, & pectus ornarunt, plane uti etiamnum cruces aureas è collo pendentes mulieres gestant, quæ Romanam religionem amplectuntur.

VI. Castigandus hic est multorum interpretum error, quem circa formam harum lunularum commiserunt. Lunulas nomen habuisse observant, quia rotundæ fuerunt instar Lunæ plenæ. Forerius: שהרונים *quoque sunt bullæ in modum lunæ rotundæ, quæ ad hibebantur ornatus causa. Et quidem* סיהרא *Chaldæis Luna dicitur à rotunditate, &* סהר *rotunditas est Hebræis. Cant. 7.* Horum sententiam magnus Drusius ita effert: *Cæterum oi ἑ hic ediderunt* μηνίσκους, *ut Lat. interpres qui à* vulgo *nomen habet* lunulas. *Sic Jud. 8. 21.* שהרונים *iidem* μηνίσκους *lunulas. Qua voce usus est Plautus Epidico,*

Forer. ad Isa. 3. 18.

Drus. ibid.

Lunulam atque anellum aureolum in digitum.

Exponunt lapillum sive gemmam rotundam instar Lunæ. Alii, μηνίσκοι *sunt*

sunt monilia ad Lunæ similitudinem in rotundum formata. Consentiunt interpretes Belgæ. Neque abludunt Lexicographi, qui שהרונים à סהר *rotunditas* derivant, ad quam radicem etiam retulerunt viri doctissimi Buxtorfius & Coccejus. Sed, quod pace tantorum virorum dixerim, falluntur. Veteres Lunę formam expressuri eam mediam vel corniculantem exhibent. Lunula in calceis Romanorum formam habuit Lunæ mediæ vel corniculantis, unde Philostratus ἡμισφύριον ἐκφαῖνον μηνοειδές vocavit, uti eleganter docuit vir politissimi ingenii Albertus Rubenius. Id vero quam clarissime ex eo apparet, quod Isidorus effigiem numeri centenarii vult expressisse lunulam in calceis Romanorum. Verba Isidori sunt. *Luna autem in eis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significabat, quod initio Patritii Senatores centum fuerint.* Quomodo & Johannes Antiochensis, cujus locus exstat apud maximum Salmasium campagos vocatos esse vult, quod Romanum cappa adsutum haberent. Non

Belgæ ad Iud. 8. 21.

Buxt. & Cocc. in Lex. Hebr.


Philostr. lib. de vit. Soph.

Rub. de Re Vest. l. 2. c. 4.

Salm. in Not. ad Pollion. & Dedic. Statuæ Regillæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





disputamus hic quam bene Isidorus eo deflectat lunulæ formam, ut nota sit numeri centenarii, quot nimirum fuerunt primis Reipublicæ temporibus Senatores, aut quam recte campagos vocet Johannes Antiochensis, sed hæc ideo notamus, ut constet Lunę corniculantis effigie lunulam fuisse in calceis patritiorum. Nam cum Isidorus Lunam significare vult notam numeri centenarii, quid aliud indicat quam fuisse lunulam corniculantem, quæ referret notam C. Quod ipsum Johannis Antiochensis ostendit, cum Romanum Cappa nihil aliud quam C. sit. Hoc vero quod dicimus de Romanorum lunulis, ex subjecta figura, quam ex Casalio ad Balduinum Frisius exhibet, facile, ut opinor, apparet. Muhammedani quoque, qui summis turrium & Moschearum fastigiis, ex ritu, quem accepisse videntur ab antiquissimis Saracenis sive Ismaelitis, qui Lunam hac forma effigiabant, Lunæ figuram imponunt, eam semper conniculantem exhibent. Quomodo & Turcarum calceos

Bald. de Calc. Ant. c. 9.

Lunis

Herbert. Itiner. p. 123.

Lunis mediis sive corniculantibus munitos describunt, qui eas terras lustrarunt. Nihil quoque tritius est nostris moribus quam Lunam corniculantem exprimere. Lunulas, quas in auribus gestant nostra hac ætate mulieres, nemo ignorat semper corniculantes esse. Quomodo & lunulę, quibus ditiores equorum suorum frontem ornant, ex flavo plerumque ære conflatę, non nisi corniculantes sunt. Profecto, ego nescio, quales illæ sint lunulæ, quæ rotundæ sunt instar lunæ plenæ. Tale enim ornamentum, quod rotundum est instar Lunæ plenæ, quidvis potius quam Lunam referret, vel globum, vel nummum aureum, neque inde lunula diceretur, à rotunditate scilicet qua Lunæ plenæ simile esset. At illud ornamentum, quod refert Lunam mediam sive corniculantem, recte lunula dicitur, à similitudine Lunæ in quam formatum est. A סהר quidem, quod *rotunditatem* notat, vocem שהרונים Lexicographi derivant, & ex eo petunt vocabuli significatum. Sed quam recte eam Radicem, uti vocant,

vocant, constituant, & inde velint desumendam hujus vocabuli notionem, nos non prolixè inquirimus, qui satis novimus quam multa sæpe perperam ab ipsis dicta sint, cum rudera tantum & vestigia priscæ Hebræorum Linguæ superstint. Ut minime solidum sit, quod tam futili fundamento nititur. Sed de his plura in nostro commentario de Re Vestiaria Hebræorum.

VII. Uti circa formam lunularum errarunt interpretes, circa ipsam Lunam non minus lapsi sunt, cujus nomen non adeo tritum nemo videtur intellexisse. Obscurus est apud Jesaiam locus, in quo putidam idololatriam in Judæis contumacibus carpit: *Et vos derelinquentes Dominum*, inquit, *oblivisscentes montis sanctitatis meæ*, הערכים לגד Iesa. 65. 11. שלחן והממלאים למני ממסך *parantes mensam* גד *Gad, & implentes libamen* מני *Meni*. Deorum sive idolorum nomina esse *Gad* & *Meni* constat inter omnes. At quales fuerint ingens lis est. De *Gad* dicere nihil attinet quam multæ & quam diversæ sint interpretum sententiæ.

Vel τὸ *Meni* quam variè reddiderunt? Munsterus transfert, *implentes planetis libamen.* Arias Montanus similiter exponit, *implentes Meni (qui impletis planetis) libamen.* Ab horum sententia stant Rabbini, qui stellarum numerum, & quidem septenarium, intelligunt, ut R. David Kimchi docet. Quomodo & Vatablus exponit: *septem planetis paratis libamina.* Osorius, Mercerus, Cornelius à Lapide *fatum* intelligi ajunt. Onkelos *Deos fictos* pro *Meni* habet. Vetusta versio Arabica in Bibliotheca Arundelliana apud virum CL. Johannem Seldenum, *miscetis pocula vini mixti,* transtulit. Tremellius vertit: *quique impletis numeris illis libamen*: quomodo & Belgæ reddiderunt, *dit drank opvullet voor dat getal.* Cum illis faciunt R. Aben Ezra & plurimi Hebræorum, Buxtorfius item & Schindlerus, nisi quod Schindlerus addat intelligere alios numerationis Deum Mercurium. Quæ quidem sententia Forerio placuit. Symmachus, Hieronymi testimonio, legit *Minni*, hoc est *impletis absque me potionem*, & Vulgatus habet,

Kimchi in Rad. & ad h. l. Vatab. ad h. l.

Seld. de Dis. Syr. Synt. 1. cap. 1.

Aben Ezra ad h. l. Buxt. & Schindl. in Lex. Hebr. Forer. ad h. l.

bet, *& libatis super eam*. Lutherus, cum eam vocem se rectè redditurum desperaret, ita vertit: *Und schenket voll ein vom Trankopfer dem Meni*, quomodo & Hebræam vocem Leo Judas retinuit. Plures adhuc aliæ sunt diversæ sententiæ, quas colligere non est nostri otii, cum ex his abunde constet quam misere fatigaverit interpretes τὸ Meni. Nos, uti *Gad* esse *Solem*, quod optime animadvertit Anglorum doctissimus Nicolaus Fullerus, multis argumentis possemus asserere, ita *Meni* putamus non nisi *Lunam* esse, quod à nemine scimus accurate demonstratum. Full Misc. l. 5. c. 17.

VIII. A מנה, quod *numerare* significat, hoc numen dictum מני, interpretes & lexicographi agnoscunt. Atque hinc natæ sunt eorum sententiæ, qui stellas intelligunt, vel planetas, vel Mercurium numerationis Deum. Quam facile fuisset intelligere Lunam, per quam veteres & annum & menses numerarunt? Solitos veteres per Lunas computare sua tempora, res est nota & quam plurimis animadversa. Juxta תראירה φάσιν lunarem

ſuos menſes numerare ſolitos olim Hebræos etiam docuerunt homines eruditi. Unde videre eſt non ſine cauſa à מנה quod numerare notat, Lunam dictam eſſe מנין. Quomodo & cum Arabico articulo *Al*, hodie vocare ſolemus *Almanah* calendarium, quaſi obſervationem dicas omnium totius anni Lunarum, atque etiam menſis, qui ſecundum Lunæ curſum numeratur, apud Græcos μήν dicitur.

IX. Id ex eo longe fiet veriſimilius, ſi obſervemus hoc Lunæ nomen apud pleroſque populos manſiſſe. Non hic dicimus de lingua Belgica, nobis vernacula, qua *Lunam* vocamus *Mane*, & menſem, qui ſecundum ejus curſum numerari ſolet, *een maand*: Id ipſum videre eſt in lingua Arabica, Græca, Latina. Vir cl. Edwardus Pocokius, ex Arabica lingua τὸ *Meni* dijudicans, Idoli nomen eſſe vult, cui affine, ſi non plane idem, ſit Arabum *Menath*, quod occurrit in Alcorano: *An non vidiſtis Allath & Alozza, & Menath.* Utique hoc veriſſimum putamus.

Pocok. in Specim. pag. 92.

Alcor. pag. 57.

tamus. Sed quid *Menath* sit nondum constat. Neque id nos docent viri longe eruditissimi Johannes Seldenus, & Johannes Henricus Hottingerus, qui de his idolis multa observarunt. Ego vero Menath nihil aliud quam *Lunam* fuisse suspicor. Hoc arguit, tum quod reliqua duo Alcorani nomina Allath & Alozza, stellam, & quidem, ut Isa Bar Ali Syriacè explicat, *Astrum Remphan*, h. e. *Saturnum*, significent, vel uti *Allath* fuisse volunt Seldenus & Hottingerus, *Venerem*, tum etymologia vocis *Menath*, quam ex Schamhaschari Hottingerus habet. Radicem ille ponit vel מנא id est, קטע *scidit*, *abscidit*, *eradicavit*. ואנהם כאנוא ידבחון ענדהא אלקראבין *huic illi sacrificabant sacrificia*: vel נו, quod *sidus est ad occasum vergens* כאנהם יסתמטרון באלאנוא ענדהא תברכא נהא *propterea quod pluviam ad occasum sideris ab eo petunt, ut benedictionem ab ea consequantur*. Etenim illis verbis Lunam describi ab authore Arabe conjicio, quam ob vicinitatem plusquam aliud quodvis adstrum in hæc inferiora agere, res

Seld. de Dis. Syr. Synt. 2. c. 2. Hotting. Hist. Orient. l. 1. c. 7. Isa bar Ali. Lex Mss. Syro Arab. apud Hotting. & ibid. Schamhaschari.

est nota, quæque ad occasum vergens pluviam facere est credita. Quod sane mihi videtur longe verisimilius, quam quod alii *constellationem*, vel *stellas*, vel *planetas* exponant. Quid si *Allath* Venerem, *Alozza* Luciferum, *Menath* Lunam dicamus. Sane hæc tria Numina inter veteres Arabes culta fuerunt. De Venere & Lucifero id jam observarunt multi ex Euthimio Zygabeno in Panoplia. Οἱ Σαρακηνοὶ, inquit, μέχρι τῆς Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως χρόνου εἰδωλολάτρευον, προσκυνοῦντες τῷ Ἑωσφόρῳ ἄστρῳ, καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ. ἣν δὴ καὶ χάβαρ τῇ ἑαυτῶν ἐπονομάζουσι γλώττῃ, δηλοῖ δὲ ἡ λέξις αὐτὴ τὴν μεγάλην. hoc est: *Saraceni usq; ad Heraclii imperatoris tempora idolis dediti fuerunt, adorantes* Luciferum *&* Venerem, *quam Cabar sua nominant lingua.* Cabar *autem* Magnam *interpretatur.* & Catechesi Saracenorum: Ἀναθεματίζω τοὺς τῷ πρωινῷ προσκυνοῦντας ἄστρῳ ἤγουν τῷ Ἑωσφόρῳ καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ, ἣν καὶ τὴν Ἀράβων γλῶσσαν χαβάρ ὀνομάζουσι, τουτέστι μεγάλην: hoc est: *Anathematizo eos qui matutinum sidus* Luciferum *adorant, &* Venerem, *quam Arabum lingua*

linqua Chabar *vocant, quod est*, Magnam. De Luna nihil est tritius, quam olim Arabes adeo coluerunt, ut insignia corniculantis Lunæ reciperent, quæ ex veteri ritu etiam num sunt residua, licet constet hodie non amplius Lunam ab iis coli. Equidem scio hæc nomina sæpe confundi, & Venerem, Luciferum, Lunam, unum idemque idolum dici. Videant tamen eruditiores an hæc non debeant ita distingui.

X. Apud Græcos *Luna* est μήνη. Suidas. Μήνη ἡ Σελήνη. Optimè hoc docent elegantes Orphei versus, quibus Lunam describit ut aliam terram, quomodo inter doctiores Philosophos non minus terra quam planeta habita fuit, quam sententiam secuti sunt Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Heraclides, Ocellus, & etiam Heraclitus. Plut. de fac. in Luna.

Μάσκετο δ', inquit, ἄλλην γαῖαν ὑπείρονα, ἥνδε Σελήνην
Ἀθάνατοι καλέουσιν, ἐπιχθόνιοι δ' Μενήνην,
Ἣ πολλ' ὄρεα ἔχει, πολλ' ἄστεα, πολλὲ μέλαθρα.

Molitus vero est aliam terram infinitam, quam Selenen immortales vocant, homines vero Meenen, quæ multos montes habet, multas urbes, multas domus. Sed & alibi Orpheus Μήνην *Lunam* vocavit, cujus versus apud Cyrillum leguntur:

Cyril. ad ℣s. Julian. lib. 1.

Φθέγξομαι, οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπιθέσθε βεβήλοις
Πᾶσιν ὁμῶς, σὺ δ' ἄκουε φαεσφόρε ἔκγονε μήνης
Μουσαῖ, ἐξερέω γὰρ ἀληθέα.

Eloquar, quibus fas est audire, ostia vero claudite profanis omnibus: Tu vero audi nitentis progenies Lunæ Musæe, canam enim vera. Quam vocem cum non intelligeret interpres Oecolampadius, μνήμης legendum putavit, & pro *Luna memoriam* vertit. Utique perperam. Nam, ne dicam nihil omnino esse φαεσφόρε μνήμης, minime mutari μήνης debet. Docere id non tantum potest Justinus Martyr, itemque Euzebius, apud quem utrumque vox Μήνης legitur, licet apud Euzebium paulo aliter citentur hi Orphei versus:

Just. Mar. in Paræn. ad Græc. Euzeb. Demonstr. Euang. lib. 13.

Φθέγ-

Φθέγξομαι, οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπιθέσθε βέβηλοι
Φεύγοντες δικαίων θεσμὸς θείοιο τεθέντος
Πᾶσι νόμοις, σύδ' ἄκουε φαεσφόρου ἔκφυγε μήνης &c.

verum etiam, uti pulchrè obſervavit vir elegantis doctrinæ, cui Batavia noſtra multum debet, Hadrianus Junius, Hermeſionax Colophonius, ubi de Muſæi amica loquitur: Iun. Animadverſ. l. 1 c. 18. Hermeſ. Coloph. Elegiac. lib. 3.

ὃ μὴν καὶ υἱὸς μήνης ἀγέρωσον ἔρηκεν
Μουσαίης χαρίτων ἔρνος Ἀντιόπην.
Delitiæ charitum, ſoboles Muſæe micantis
Lunæ, non tacitam liqueris Antiopen.

Et Proclus Diodochus, qui Muſæum Lunarem, veluti Lunæ progeniem, dixit: Ἐπείπερ, inquit, καὶ ἀπὸ Μουσαίου τοῦ σεληνιακοῦ τὸ γένος ἦν ἐν Ἐλευσῖνι τῶν μυστηρίων ἡγεμόσιν εἶναι φησί. *Quandoquidem & à Muſæo illo lunari ſacerdotibus in Eleuſine ſacrorum præfectis genus eſſe dicit.* Neſcio an huc etiam referri debeat fanum τοῦ Μήνος, quod in Aſia mi- Procl. Diodoch. comment. in Plat. Timæum lib. 1.

Strabo lib. 12.

nore memorat Strabo, ut Μῆνα masculum Deum nominet, uti Latini *Lunum*. Ita quidem magnus Casaubonus ad Ælii Spartiani Antoninum Caracallam, ubi insignis locus de Lunæ nomine virili & fœminino occurrit, Strabonem, hominem Cappadocem, masculum Deum *Lunum* græcè extulisse Μῆνα putat, quia sciebat vocem, quam vertebat, utrumque significare, uti Hebæis יֶרַח & Luna est & mensis. *Menem* vero alium non esse à Luna declarare Strabonem autumat, cum ait: ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερὸν. At Claudius Salmasius ὁ θαυμάσιος abit in alia omnia. Doctissimum virum falli putat, qui Μῆνα masculum hunc Deum extulisse Strabonem autumat. Notat tribus in locis apud Strabonem Μῆνος & templorum ejusdem Dei mentionem esse. Sed illis omnibus locis Μῆνα & Lunam, sive σελήνην, esse diversos ita verum esse dicit, ut nihil verius esse censeat. *Primum*, inquit, *nunquam* Μηνὸς ἱερὸν *sine adjecto ponit, sed semper aut* Μηνὸς Φαρνάκου, Μηνὸς Κάρου, *aut* Μηνὸς ἀρχαίου. *Quibus locis quis Lunam*

Casaub. ad Hist. Aug. Script.

Salm. ad Hist. Aug. Script.

nam sub illis cognominibus dictam putet? Menem autem alium esse à Luna manifeste ostendit idem Strabo, cum scribit: ἐστὶ δ' ἡμῖν τοῦτο τῆς Σελήνης ἱερόν. Ibi enim, nisi fallor, mentionem facit Menis Pharnacæ vocati, & ejus templi quod ἱερὸν non solum Μήνου, sed etiam Σελήνης esse ait: Quibus verbis non potuit apertius declarare aliam esse ac diversam τὴν Σελήνην ἀπὸ τοῦ Μηνός. At licet inter τὸν Μηνὸν & Σελήνην distinguat vir maximus, non tamen multum diversus fuit à Σελήνῃ ὁ Μήν. Totus, inquit, ille orbis & πρόοδος, quem Luna modulationibus menstruis, ut loquitur Tertullianus, variat, Μήν, ut notum est, vocatur à Græcis, Latinis vero mensis, & videtur apud stultam gentilitatem Dei nomen emeruisse. Inde Diogenes in Pythagora, Gallum gallinaceum τοῦ Μηνὸς ἱερὸν fuisse scribit, ex scito ejusdem Pythagoræ. Plinius vertit Mensi sacrum. Cujus etiam rei meminit Jamblichus in vita Pythagoræ Μηδὲ ἀλεκτρυόνα λευκὸν ἱκέτης ἦν ἡμῖν ἱερὸς τοῦ Μηνός, διὸ ἡμῖν σημαίνουσιν ὥραν. Quid si dicamus, licet μὴν sit Mensis, & illud Templum τοῦ μηνὸς ἱερὸν Mensi sacrum,

Iambl. l. 1. c. 18.

tamen, cum menſis ex Lunæ curſu conficitur, confuſa hæc eſſe, & μῆνον *Menſem* & *Lunam* fuiſſe, adeoque templum iſtud fuiſſe ναὸν τῆς Σελήνης ἱερόν, cum iidem honores utrique tribuerentur. Etiam LXX. Interpretes Hebręam vocem שהרנים quæ *lunulas* notat, μηνίσκους vertunt, quæ vox à μήνη derivata eſt, quia videlicet μήνη eſt *Luna*, quomodo voce μηνισκων pro ſpeciebus lunatis etiam Ariſtoteles eſt uſus. Legimus & apud Euzebium verbũ μηναγυρτέω, quod eſt magicis artibus alicui illudere. Scilicet quia magi vel venefici carminibus ſuis vel cœlo deducere Lunam credebantur.

Ariſtot. Problem. Euſeb. περὶ παρα. lib. 2.

XI. Apud Latinos idem nomen licet obſervare in Dea *Mana*, quam fœminarum menſtruis præfecerunt, quæ Græci μῆνες vocant. Videri de ea poſſunt, quæ vir ſanctiſſimus & doctiſſimus Auguſtinus habet. Meminit ejus Deæ & Plinius, verum illius locus corruptiſsime vulgo legitur. *Catulos lactentes adeo puros exiſtimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hoſtiarum vice uterentur. Genito ma-*

Aug. de Civ. Dei l. 4. c. 11. Plin. l. 29. cap. 4.

ne

ne catulo res divina fit, & in cœnis Deum ponitur catulina. Sed insigne mendum viri docti iam pridem sustulerunt, qui pro *genito mane catulo* legendum monuerunt, *Genitæ Manæ catulo res divina fit.* Nam *Genita Mana* nomen fuit Deæ, cui res divina catulo fiebat, uti discimus ex Plutarcho, dum quæstionem movet: Διὰ τὶ τῇ καλλιμένῃ Γενείτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι; *cur, quæ vocatur Genita Mana, canem immolant.* Hinc est etiam vox *Manacus*, quæ idem est quod *Lunaris.* Usus est illa Vitruvius. *Circinnatio circuli menstrui, qui manacus dicitur.* Plut. Quæst. Rom. 52. Vitruv. l. 9. c. 8.

XII. Sed Græci interpretes hunc locum optime reddiderunt, quorum tamen versio, quod sæpe contigit, hic non intellecta fuit. Ita habent: Ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα. uti hic locus hodie legitur. Notat Hieronymus τὸ *Gad*, non τὸ *Meni*, seniores *fortunam* reddidisse, & Latina etiam eorum apud eum versio habet: *Paratis* fortunæ *mensam*, & *impletis* dæmoni *potionem*, ordine alio, quam Hier. ad Ies.

in codicibus excusis Græca verba proferuntur. Attamen recte se habere hæc verba puto, & olim mendum fuisse in illis exemplaribus, è quibus Hieronymus hoc refert. Nisi quod malim δαίμονι cum eo pro δαιμονίῳ legere. *Gad* est δαίμων, *Meni* τύχη, quorum prius pro *Sole*, posterius pro *Luna* interpretes posuerunt. Id quidem ex eo constare potest, quod olim sors *Solis* apud Ægyptios Δαίμων fuerit, *Lunæ* vero τύχη. Locus ad hanc rem insignis est apud Macrobium, qui refert Ægyptios genituræ præsides olim habuisse δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην; *dæmonem, fortunam, amorem, necessitatem*, & quidem δαίμονα *Solem*, τύχην *Lunam* fuisse. Verba Macrobii sunt: *Argumentum caducei ad genituram quoque hominum, quæ genesis appellatur, Ægyptii protendunt, Deos præsides homini nascenti quatuor adesse memorantes*, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, Ἀνάγκην: *& duos priores Solem & Lunam intelligi volunt, quod Sol author spiritus caloris ac luminis, humanæ vitæ genitor & custos est, & ideo nascentis dæmon,*

Macrob. Saturn. l. 1. c. 19.

mon, id est, Deus creditur. Luna τύχη; quia corporum præsul est, quæ fortuitorum varietate jactantur. Amor, osculo significatur. Necessitas nodo. Plura de his sortibus observata sunt viro undequaque doctissimo Johanni Seldeno, qui ex Vettii Valentis Antiocheni, vetustissimi Astrologi, MSS. codice prolixum satis locum exhibet, & illum alibi non semel, neglectis fere omnino Amoris & Necessitatis, seu fati, id est, Veneris & Mercurii sortibus, binas illas Dæmonis & Fortunæ, ut omnium potentissimas vitæ præsides ac gubernatrices amplecti, & huic corpus, illi animam, hanc Lunæ, illam Soli tribuere, observat. Κλῆροι, inquit, τῆς τύχης καὶ τοῦ δαίμονος σημαίνουσιν Ἡλίου τε καὶ Σελήνην: *Sortes fortunæ & dæmonis significant Solem & Lunam.* Locus omnino meretur apud Seldenum legi, itemque quæ in notis ad Marmora Arundelliana ex eodem Vettio Valente habet, ubi plura de fortunę sorte ac dæmonis monet.

Seld. de Dis. Syris Syntagm. I. cap. II.

Seld. ad Marm. Arundel. pag. 129.

XIII. Hæc omnia confirmare videtur ritus vetustissimus quem Hiero-

Hier. ad Ios.

Hieronymus notavit. *Est autem*, inquit, *in cunctis urbibus, & maxime in Ægypto & in Alexandria, idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni & mensis eorum qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis, & poculum mulso mistum, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant & Israelitæ, omnium simulacrorum portenta venerantes.* Quid proclivius est suspicari quam in Solis atque Lunæ honorem hoc factum, quorum vis magna est ad anni proventum. Sed hæc nimis prolixe forsan discussimus. Oblata tamen occasione pro corollario libuit addere, quia in hac voce hærent interpretes, & doctorum virorum commentaria frustra consuluntur.

Finis Libri Primi.

An-

ANTONII BYNÆI de CALCEIS HEBRÆORUM LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Paſcha comedendum calceatis pedibus Exod. 12. 11. *Variæ de ratione illius præcepti ſententiæ. Refellitur prima, quæ vult viatorum calceos, à vulgaribus diſtinctos, præcipi. Item ſecunda, quæ alludi putat ad morem veterum, qui cænabant diſcalceati, menſis accumbentes. Veteres Hebræi, ut Heroes Homerici, & alii populi, ſederunt. Mos accumbendi ſero ad Hebræos pervenit. Samuel Bochartus Judæos in Ægypto calceis caruiſſe, & Deum ipſis de*

de calceis prospexisse conjicit. Judæi non fuerunt in Ægypto ἀνυπόδητοι. *Neque Lex loquitur de calceis comparandis, sed de iis induendis quos habebant. Locus Deut. 29. 5. explicatur. Rationem præcepti ipse Deus dedit, qui Judæos ad iter voluit paratos. Viatores calceos sumebant. Cavit Deus ut essent calceati, ne in calceis foret mora cum ab Ægyptiis expellerentur. Quare is ritus tantum pro illo tempore fuit. Neque Christus eum observavit, more istius ævi sine calceis accumbere solitus. Locus Luc. 7. 38. illustratur. Etiam Joh. 13. 4.*

I.

DE Calceorum origine, materia, forma, abunde, ni fallor, superiori libro disputavimus. Nunc ritus quosdam persequi juvat, qui olim

olim apud Hebræos obſervati fuerunt, & alia ſingularia exponere, quę in ſacris voluminibus leguntur. Inter alia, quæ circa Agnum Paſchalem prȩcipit Deus, illud omnino peculiare fuit, quod voluerit ut agnũ comedentes lumbos haberent ſuccinctos, calceatos pedes, & baculos in manu. Verba Legis ſunt. וככה תאכלו אתו מתניכם חגרים נעליכם ברגליכם ומקלכם בידכם ואכלתם אתו בחפזון פסח הוא ליהוה *Sic autem comedetis illum, renes veſtri erunt ſuccincti, calceamenta in pedibus veſtris, & baculi in manibus veſtris, & comedetis illum feſtinanter, Paſcha eſt Domini.* Exod. 12. 11. Inquiſiverunt diu viri eruditiſsimi, quænam ratio fuerit hujus præcepti, ut Iſraelitas, dum Paſcha comederent in Ægypto, calceatos eſſe voluerit Deus. Atque, ut fieri amat dum conjecturis quiſque indulget, in varias ac multiplices diviſi ſententias abierunt.

II. Quorundam eſt opinio, voluiſſe Deum, ut Iſraelitæ, longum atque difficile inter ingreſſuri, viatorum ſumerent calceos, & pedibus induerent, cum Paſcha primum

mum essent comesuri. Comminiscuntur enim viatorum calceos à vulgaribus diversos fuisse, sicuti & hodie apud plerosque obtinet, ut in itinere calceos induant alios, quam in usu quotidiano. Hoc vero commentum ego sane nescio qua ratione potuerit eruditis hominibus placere. Nam quod conjiciunt de viatorum calceis, & quidem à vulgaribus diversis, id nullo testimonio probant. Neque quidquam occurrit in hac tota lege, quod sententiam adstruat. Hoc enim solum præcipit Deus, ut Paschalem agnum calceati comedant, de viatorum calceis nihil præscribit.

III. Referunt alii ad eum morem, qui olim obtinuit, ut calceos deponerent dum cænarent, ne lectuli, in quibus discumbebant, iis inquinarentur. Volunt nimirum Deum præcepisse, ut Paschale convivium etiam à reliquis in eo differret, ut ne calceos pro more deponerent. Quorum quidem opinio priori longe est doctior. Veteres, cum essent cænaturi, soleas deponere solitos, post cænam

vero

vero repoſcere atque reſumere, res eſt certiſsima. De Romanis id elegantiſsime demonſtrarunt politiſsimi viri Petrus Ciacconus atque Fulvius Urſinus, qui omnem Triclinii rationem expoſuerunt, & tabulas marmoreas, in quibus pueri viſuntur calceos cænaturis detrahere, & ipſi convivæ nudis pedibus accumbere, exhibuerunt. Apud Judæos eundum morem viguiſſe ex Euangelica hiſtoria viri literatiſſimi oſtenderunt, qui Servatorem, & ipſius Apoſtolos, more Romanorum illius ævi accubuiſſe, dum aut pranderent, aut cænarent, obſervarunt. Præter Petrum Ciacconum, qui multis demonſtrat omnia cum hoc more perquam bene convenire, quæ ab Euangeliſtis ſunt prodita, videri poſſunt Hieronymus Mercurialis, Johannes Baptiſta Villalpandus, & complures alii, quos adduxit Julius Nigronus. Quibus addi merentur, quæ collegit ex Rabbinorum monumentis, vir in iis verſatiſſimus Johannes Lichtfotus. Quare non inepte videri poſſunt homines eruditi ad hunc morem referre hoc

Ciacc. de Tricl. & ad eum Fulv. Urſin.

Mercur. de arte Gymn. l. 1. c. 2. Villalp. in Ezech. 23. Nigron. de Caliga cap. 2.

Licht. Hor. Hebr. in Matth. 26. 20.

Numi-

Numinis præceptum, quo voluit Israelitas Pascha comesuros esse calceatos, ut hac in re Paschale convivium etiam à reliquis differret, ne calceos deponerent, quod alias pransuri aut cænaturi solebant.

IV. Mihi tamen hæc non videtur hujus præcepti ratio. Posterioribus seculis apud Judæos hunc morem fuisse, ut mensæ accumberent, & calceos deponerent ne lectulos inquinarent, constat satis. Sed an mos ille tam antiquis temporibus fuerit in usu, non tantum dubitamus, sed è contra asserimus, apud Judæos eum nondum viguisse, cum hoc præceptum traderet Deus. Prisci mortales, sicut in herba jacentes cibum sumpserunt, quo pertinere videtur, quod
Gen. 18.4. Abrahamus tres viros, qui circa meridiem venerant, sub arbore reclinare jubet, ut sub umbra in gramine jacentes caperent cibum, ita etiam sederunt. Quem quidem morem jam ab Isaaci ævo obtinuisse, ut veteres Hebræi non in lectulis accubuerint, sed ad mensam sederint, sacra monumenta abunde

abunde ostendunt, quæ semper commemorant eos sediſſe, nunquam vero accubuiſſe. Docuit hoc præclare ſeculi noſtri grande decus Samuel Bochartus, ac tot collegit ex S. Codice teſtimonia, ut plane ſit certum veteres Hebræos ad menſam ſediſſe. Eodem modo uti apud Homerum, Καθίζονται ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ Ἥρωες, ἀ κατεκλίνοντο, *ſedebant in conviviis Heroes non accumbebant*, uti Athenæus docet: Qui eundem morem apud Macedones Alexandri & Caſſandri ævo nondum plane exoleviſſe ex Duro & Hegeſandro probat: quod etiam de Germanis Tacitus, & de Hiſpanis & Gallis veteribus tradidit Strabo. Moris accumbendi apud Hebræos primam mentionem magnus Caſaubonus apud Amoſum obſervavit. Et ſane ante ea tempora non videtur uſitatus. Exemplum vetuſtius apud Authorem Cantici inveniri, conjecit quidem vir illuſtris Hugo Grotius, ubi מסב κατάκλισιν vertunt Græci. Sed ipſe id dubitanter aſſerit, & res ſe aliter habere videtur. Quare etiam optime monuit vir illuſtris accubi-

Bochart Hier. P. 1. pag. 598.

Athen. l. 1. c. 14.

Caſaub. Exer c. Anti Bar. 16 cap. 22.

Amos 2. 8.

Cant. 1. 12.

Grot. ad Matth. 26. 20.

accubitum in lectis haud dubiè serius cæpisse, Assyriorum, ut credibile est, exemplo, qui postea Græcorum ac postremo Romanorum consuetudine increbuerit. Unde, cum primo mori, quo in herba jacentes cibum capiebant, proximus, aut non minus antiquus, fuerit mos sedendi, & Hebræi veteres more posterioris ævi in lectulis nondum accumberent, causa non fuit, cur ad mensam accedentes, calceos exuerent, neque dici potest ex recepta ea consultudine hoc à Deo prohibitum, quasi voluerit Paschale convivium etiam hac in parte à reliquis differre.

Bochart. Hier. P. I. pag. 599.

V. Samuel Bochartus, qui Hebræorum ac reliquarum gentium literis instructissmus, opus de Animalibus perfecit, quo non tantum omnium, qui ea in re aliquid conati sunt, industriam vicit, sed longo intervallo post se reliquit, aliam conjecit esse hujus mandati rationem. Hoc unum quod respondeat ad propositam quæstionem, cur Israelitas calceatos esse voluerit Deus dum Pascha comederent

derent in Ægypto, se dicit habere, Judæos nempe non semper fuisse calceatos. Ad eam rem cum varia τῆς ἀνυποδησίας exempla observasset, Judęorum plurimos conjectat in Ægypto fuisse excalceatos, cum Ægyptus in fervida sit plaga, fere sub sidere Cancri, ac proinde ejus incolæ possint calceis carere facilius, cumque Judæi in Ægypto sub jugo miserę servitutis pressi fuerint, ac pæne oppressi, in quo statu valde credibile est illis multa defuisse, quæ ad vitam commode degendam requisita sunt: Cum denique Judæorum ἀνυποδησίας exempla etiam in ipsa Judæa, rebus illorum maxime florentibus, vestigia supersint. Unde concludit, cum in Ægypto Judæis minus periculosa ἀνυποδησία fuisset, iisdem longum, asperum, & senticosum iter jam aggressuris, voluisse Deum de calceis prospicere, atque, ut religio quoque eos ad rei tam necessariæ curam adigeret, sanciisse, ut nonnisi calceati Pascha comederent: ac propterea neque passum esse calceos, quos ad hoc solemne festum sibi comparaverant, per

annos quadraginta deteri.

VI. Hæc conjectura viri ſummi mihi pariter non probatur. Ἀνυποδησίαν, qualis olim obtinuit apud pleraſque nationes, apud Hebræos veteres non in uſu fuiſſe, ſuperius oſtendimus, & Judæos non niſi ob religionem, aut certum aliquem ritum fuiſſe diſcalceatos, cum alias ſemper calceati forent, monuimus. Judæos in Ægypto, fervida licet plaga, in qua oppreſsi fuerunt Ægyptiorum tyrannide, excalceatos fuiſſe, ut neceſſe fuerit vel religione ad calceorum curam eos adigere, cum iter aſperum & ſenticoſum eſſent aggreſſuri, non facile credimus. De calceis enim lex divina loquitur, non quos ſibi ad feſtum tam ſolemne compararent, quia ſervitute preſsi, & in plaga fervida viventes, calceis carebant, ſed quos habebant. Certe haudquaquam Deus de calceis, quos non habebant ipſis proſpexit, ſed ut calceos, quos habebant, induerent, præcepit. Quis etiam credat calceorum curam adeo neglexiſſe veteres Hebræos, aut tam dira fuiſſe ſervitute preſſos, ut etiam

lib 1. cap. 1.

calceis

calceis caruerint, adeoque Deo fuerint opus, injungere præceptum, ut calceati comederent Pascha, qua religione eos adigeret ut de calceis sibi prospicerent ad iter durum atque senticosum? Neque id omnino verum est quod ὁ πάνυ addit, *propterea Deum passum non esse, ut calcei, quos ad tam solemne festum sibi comparaverant, per annos quadraginta detererentur.* Innuere id quidem videntur ea verba quæ in Deuteronomio leguntur, quibus Moses hoc Dei beneficium Judæis commemorat: *Duxit vos dominus quadraginta annis per desertum: non sunt atrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt* Sed longe aliam esse horum verborum mentem, neque hoc miraculum in eo fuisse, quod ipsi calcei, quibus induti fuerant in solemni festo, cum Pascha comederent in Ægypto, non fuerint detriti, sed in mirabili Dei providentia, qua in Arabiæ desertis, horridis illis & incultis, & omnium egenis, prospexit, ut nunquam calcei ipsis defuerint, inferius ostendemus. Eorum enim Deut. 29. 5. cap. 9.

calcei non detriti dicuntur, eadem
Iesa. 48. 22. ratione, qua *non sitivisse* apud Jesaiam legimus, *cum Deus eos duceret per deserta loca*, quia nimirum ipsis abunde suppeditabat, quo sitim possent explere.

VII. Subiit mirari eruditos homines tam varia divinasse, cum
Exod. 12. 11. 12. rationem istius ritus ipse Deus indicet. *Sic autem*, inquit, *comedetis illum* (agnum.) *Renes vestri erunt succincti, calceamenta in pedibus vestris, & baculi in manibus vestris, & comedetis illum festinanter: Pascha illud est Jehovæ: Et transibo per terram Ægypti nocte hac, & percutiam omnes primogenitos in terra Ægypti ab homine usque ad jumenta.* Res est nota, & narrata fusius, post magnas clades, quibus Ægyptios affecerat Deus, ut ex sua ditione Hebræos dimitterent, ultimam ea nocte voluisse experiri, ac tot hominum & jumentorum mortibus universam Ægyptum reddere funestam, ut hac ratione Ægyptii, nihil magis cuperent, quam ut citissime exirent Hebræi. Prævidebat Deus, quod & factum est, ut tanta strage territi Ægyp-

tii

tii, magis expellerent eos quam dimitterent tranquille. Volebat ergo ut, dum eam noctem agerent quasi festam, ad iter accincti & parati essent, & non tantum lumbos haberent succinctos, & baculos in manibus, qui viatorum in Oriente fuit habitus, & eorum qui iter difficile & operosum aggrediebantur, verum etiam calceatos pedes. Calceos olim in itineribus usitatos fuisse, Gibeonitæ sunt exemplo, qui ex בעלות משלאות *calceis diversis solorum frustis suppactis*, fidem facere voluerunt, se longo itinere ad Israelitarum castra contendisse. Quare Deus, cum iis omnibus instructos vellet Hebræos, antequam Paschale inchoarent convivium, etiam de calceis præcepit. Hebræi veteres, sicut opera forensia curabant calceati, domestica tamen discalceati objerunt, uti veteres domi plerumque fuerunt discalceati. Quod etiam à nostris moribus non alienum est. Licet enim omnes, cum aut versamus in publico, aut rebus forensibus operam damus, aut iter conficimus, calceos induamus, domi tamen crepidis utimur. Ios. 9. 5. 13.

Pariter veteres, cum domi latitabant, discalceati fuerunt, qui tamen ubi foras prodeundum, aut iter aliquod suscipiendum esset calceos sumebant. Id Deus cavit ut etiam facerent ea nocte, qua agnum Paschalem comesuri erant, atque ut lumbos succinctos & baculos in manibus eos habere jussit, ita etiam de calceis præcepit. Ad omnia enim voluit paratos, quæ ad iter suscipiendum requirebantur, ne si festinanter ab Ægyptiis expellerentur, de re aliqua forent solliciti. Quare additum quoque est, ut agnum חפזון *in festinatione* comederent, ne cæna media tantum peracta excedere cogerentur Quorum omnium rationem hanc dedit Deus: *Pascha, est Jehovæ, & transibo hac nocte terram Ægypti, & percutiam omnes primogenitos in terra Ægypti ab homine usque ad jumenta.* Hæc enim verba manifestam continent eorum rituum rationem, quos præcepit Deus: Quasi dicat, omnibus rebus oportet vos instructos, quæ ad iter aggrediendum requiruntur, ut, quod solent viatores, & lumbos

bos succinctos, & calceos in pedibus, & baculos in manibus habeatis, & agnum edatis festinanter. Est enim Pascha, sive transitus Jehovæ, & ego hac nocte omnium primigenitorum diro interitu universam Ægyptum reddam funestam, unde vos Ægyptii, tot mortibus territi, coacturi sunt ad celerem exitum, imo fere finibus suis ejecturi. Quare nullam in vobis moræ causam volo, ut vel lumbos succingere, vel calceos induere, vel baculum capere sit necesse. Hæc mihi semper visa est hujus instituti ratio. Quod quidem ex eo confirmari potest, quod ad primum Pascha in Ægypto celebratum, Judæorum magistri hunc ritum tantum pertinuisse volunt. Quorum opinio nequaquam caret evidenti ratione, cum plurima suadeant non pertinuisse ad religionem festi, sed symbola fuisse instantis itineris. Sane hi ritus nunquam in legibus anniversariis de Pascha te repetuntur. Sunt videlicet, ut & sanguinis aspersio, pro illo tantum tempore imperati. Quare & à Judæis, dum Pascha suum cele-

brant, hodie non obſervantur, ut videre eſt ex Paſchatis celebrandi ratione, quam magnus Buxtorfius deſcribit, nec non Johannes Leusdenius, vir diligentiſſimus, cui Hebræorum literæ propter indefeſſum eas promovendi ſtudum plurimum debent, & ego multis nominibus me devinctum agnoſco, cum meos in Hebraicis conatus ſingulari cura ſemper adjuvarit, & ſumma humanitate ac benevolentia ſit complexus.

Buxt. Syn. Iud. c. 18. Leuſden. Phil. Mixt. Diſſert.

VIII. Hinc videre eſt, cur Servator noſter, qui accumbebat more illius ævi, calceatus non fuerit cum Paſcha comederet cum ſuis diſcipulis. Chriſtum, cum more illius temporis menſæ accumberet, fuiſſe diſcalceatum, prout Romani, ſoleis depoſitis cum cænatum irent, nudis pedibus accumbebant, jam dudum monuerunt viri doctiſsimi. Qui non leve argumentum petunt ex Hiſtoria iſtius mulieris, quæ ipſius pedes lacrymis rigavit, capillis abſterſit, & unguento unxit, quam Lucas refert: σῦσα, inquit, παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω, κλαίουσα ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας

Luc. 7. 38.

δας αὐτῦ τοῖς δάκρυσι, καὶ ταῖς θρίξι τ κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμασσε, καὶ κατεφίλ τὰς πόδας αὐτῦ, καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ: *Stans retro secus pedes ejus, lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Ex quo loco colligunt, Christum nudis pedibus accubuisse cum hoc beneficium in mensa præstare mulier non potuisset, nisi Christus semijacens in lectulo accubuisset, depositis soleis, sive sandaliis, peracta cæna resumendis. At, cum dici possit, eam mulierem & ungere, & osculari, & lacrymis rigare, & abstergere Christi pedes potuisse, licet nudis pedibus non accumberet mensæ, cum nudi fuerint in parte superna, quia sandaliis, sive soleis, quæ plantam tantum pedis, non pedem integrum tegebant, ex more gentis utebatur: Respondent, non fuisse partem supernam prorsus nudam, cum soleæ corrigiis pedibus alligarentur, ut patet ex forma caligæ, quam superius dedimus. Observari dein- pag. 140.
de volunt mulierum Christo à ter-

go ſtetiſſe, uti claris verbis Lucas refert: ἔστασα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω unde Chriſtus, in latus recumbens more Romanorum, plantas potius ſoleatas obvertiſſet, quam partem ſupernam ſeminudam. Adderem ego, in quo fortaſſe plus eſt virium, haudquaquam mulierem Chriſti pedes ſoleatos unxiſſe, quod tamen diſerte Lucas, καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ. Nunquam enim pedes, quorum frequens fuit unctio apud pleroſque populos, cum ſoleis ungebantur. Ipſi Indi, uti refert Curtius, *demptis ſoleis, odoxibus illinunt pedes.* Quare expedita eſt difficultatis omnis evitandæ ratio, ſi dicamus Servatorem, dum accumberet menſæ, ſoleas depoſuiſſe, ac pro more iſtius temporis nudis pedibus cænaſſe. Id ipſium obſervare eſt, cum Johannes refert, Chriſtum lavaſſe Apoſtolorum pedes: Ἐγείρεται, inquit, ἐκ τοῦ δείπνου, καὶ τίθησι τὰ ἱμάτια. καὶ λάβων λέντιον διέζωσεν ἑαυτόν. Εἶτα βάλλει ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα, καὶ ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν. καὶ ἐκμάσσειν τῷ λεντίῳ, ᾧ ἦν διεζωσμένος. *Surgit à cœna*

Curt. lib. 8. cap. 9.

Joh. 13. 4. 5.

&

& ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Lavit hic Christus Apostolorum pedes, dum mensæ adhuc accumberent, pedibus post se protensis. Atqui tum pedes Apostolorum nudos fuisse necesse est: cum pedes soleati neque aqua lavari, neque linteo possint abstergi. Ut Apostoli soleas, sive sandalia, jam ante exuerint, more accumbentium istius ævi, ne stragula lectorum, mensas ambientium, pulvere aut luto conspurcarent. Neque enim de demptis prius à Christo soleis, vel minima est suspicio, cum hoc non prætermisisset scriptor diligentissimus, qui omnes circumstantias tam accurate annotavit. At sicut Apostolorum una cum Christo accumbentium pedes fuerunt nudi, ita & Christi ipsius fuisse par est colligere, quem nihil ab aliis singulare deprehendimus observasse. Quare, cum Christus nudis pedibus cum suis Apostolis accubuerit semper, statuere necesse est

idem factitasse cum Paschale convivium ageret. Ut ritum priscum in Ægypto mandatum & ab omni populo tum temporis observandum, non usurpaverit Christus, sed discalceatus Pascha comederit. Scilicet ille ritus symbolum tantum fuit instantis itineris, adeoque non semper & ubique retinendus. Quomodo & id ipsum, quod voluit Deus, ut sanguinem postibus in Ægypto, aspergerent, non fuit observatum seculis posterioribus, quia tantum pro illo tempore imperatum erat.

Caput Secundum.

Religio nudis pedibus templa intrandi apud varias gentes. Apud Hebræos nemo cum calceis templum ingrediebatur. Ante Synagogam hodie vel purgant vel exuunt calceos Judæi. Moses & Josua jussi calceos exuere. Exod. 3. 5. & Jos. 5. 15. Vera istius cerimoniæ ratio. De Mosis calceis lepida commenta. Ex

hoc

hoc Dei mandato apud Hebræos circa loca ſacra religio manavit, ut ea calceatum intrare ducerent nefas. Quæ ratio etiam alias gentes permovit.

I.

MAgna apud veteres fuit, atque etiam hodie apud multos populos erga loca ſacra & Deorum delubra religio eſt atque cultus, quæ nudos pedes exigere olim putarunt, & etiam nunc exiſtimant. Vetuſtis temporibus & etiam noſtris apud multas nationes piaculum habebatur & grande nefas, templorum pavimenta calceato pede calcaſſe. Uſurpatum fuiſſe morem hunc à variis gentibus, quæ ſolebant calceos exuere, cum fana ingrederentur, Juſtinus Martyr narrat. Quod à Græcis ſæpius factum ex Callimacho & Valerio Flacco diſcimus. Apud Cretenſes, qui Dianam religioſiſsime venerabantur *Ædem numinis, præter quam nudus veſtigia, nullus licite ingrediebatur*, ut Solinus refert. Apud Romanos, ædes Veſtę Deæ nudis

Iuſtin. Apol 2. Callim. Hym. in Cerer. Valer. Flac. lib. 2. Solin. c 17. Ovid. Faſt. lib. 6.

pedibus matronę adibant, ut ex Ovidio ſcimus. Turcas Moſcheas ſuas non intrare, niſi calceamenta exuerint, jam dudum ex Bartholomæo Giorgiometz, obſervavit Johannes Druſius. Quod ipſum narrant, qui illas terras diligenter luſtrarunt, Georgius Douza, Adamus Olearius, Petrus della Valle. Legatus Chriſtianorum Æthiopum apud Damianum Goenſem de patriis moribusloquens: *Nobis*, inquit, *non datur poteſtas templum adeundi, niſi nudis pedibus.* Indorum Bramanes Templa ſua, quæ *Pagoda* vocant, non intrare niſi calceis detractis, apud Rogerium legimus.

Druſ. ad Ioſ. 5.

Roger. de Rit. & Rellig. Bram. lib. 2. c. 10.

II. Apud Hebræos veteres ſumma quoque fuit erga loca ſacra, & inprimis Templum, religio, quod cum calceis ingredi vetitum fuit. Cautum fuiſſe, ut qui loca ſacra, atque adeo templum, intrare vellent, eſſent diſcalceati, docet Miſna in Maſſecheth Berachoth: לא יכנס להר הבירה במקלו ובמנעלו ובפונדתו ובאבק שעל רגליו ולא יעשה קפנדריא וקיקה *Nemo intrabit montem templi cum baculo ſuo, aut calceo*

Miſna in Maſſech. Berach. cap. 9.

ceo suo, aut marsupio suo, aut pulvere super pedes suos, nec brevioris viæ gratia, nec sputo inquinabit illum. Pene eadem sunt quæ traduntur in Gemara Babylonica Jevamoth, & in Gemara Berachoth, ex qua ista transcripsit Rabbinorum doctissimus Moses Ben Maimon. לא יכנס אדם להר הבירה במקלו או במנעל שברגליו או ובאפונדתו ובמעות הצדורין לו בסדינו *Nemo in montem Templi veniat cum baculo, aut calceamentis pedum, neque cum mantica, aut pecuniis linteo involutis.* Quod jam dudum observatum est viro summæ eruditionis & acerrimi judicii Petro Cunæo, cujus extant libri de Hebræorum Republica, docti jupiter! & ingeniosi. Petitum hinc est, quod etiam nostro tempore præ Synagogarum foribus ferrum habeant muro inpactum, quo singuli Judæi calceos suos, si lutum contraxerint, repurgare debent, vel crepidas, si eas gestent inquinatas, omnino exuant, uti refert vir peritissimus rituum Judaicorum Johannes Buxtorfius

Gem. in Ievam. cap. 1. & Berach. cap. 9. Maimon. in Halach. Beth. Habbechira cap. 7.

Cun. de Rep. Hebr. l. 2. c. 12.

Buxtorf. Syn. Iud. cap. 10.

III. Quod hunc honorem locis sacris & templis habuerint veteres Hebræi,

bræi, ab altiori origine petendum est. Ipse Deus voluit olim, ut iis in locis calceos exuerent, quę
Exod. 3. 5. præsentia sua dignabatur. Ita Mosi, cum ad rubum ardentem propius accederet, calceos extrahere præ-
Ios. 5. 15. cepit. Idem Josuæ mandavit qui se principem exercitus Dei dixit. Cujus ceremoniæ rationem adjungit: כי המקום אשר אתה עומד עליו אדמת קדש הוא *quia locus, in quo stas, terra sancta est.* Voluit nempe Deus, uti pulchre notavit,
Mas. ad Ios. Andræas Masius, ut præsentiæ suæ opinio utriusque animum magna religione perfunderet atque obligaret, quo non solum ad ea, quæ mox moniturus erat, mentem acrius intenderent, verum etiam memoria augustissimi illius ostenti, se ipsos imposterum subinde confirmarent. Quo enim spectat loci sanctitas, si non ad divini numinis præsentiam? Neque enim terra illa sanctior fuit, quo aut Moses aut Josua stetit, reliquis terræ partibus, cum & ex eadem materia constet, & eundem habeat dominum. Sed sancta dicitur illa terra, in qua & Moses

&

& Josua stabant, ob singularem Dei præsentiam. Etsi enim Deus ubique est, neque certis includi locis ejus infinita majestas potest, tamen non perinde ubique suam præsentiam declarat, sed prout divina ejus rerum humanarum moderatio postulat. Hinc illa loca, in quibus suam præsentiam singulari modo manifestat, sacra esse voluit, quomodo & loca, in quibus Moses & Josua steterunt, sancta vocat, quia ipse præsentia sua ea revera consecrabat. Atque hinc etiam voluit ut Moses atque Josua calceos suos exuerent dum starent eo in loco, quem præsentia sua dignabatur.

IV. Hæc cum sit simplex hujus cerimoniæ ratio semper vehementer sum miratus, varia passim fingi, cur Mosi Calceos exuere supremum Numen præceperit, quæ prorsus frivola sunt & inepta. Refert vir doctissimus Benedictus Balduinus expositionem lepidam, quam, viro insigniter & curiose docto concionante, se aliquando didicisse dicit: *In Ægypto* (dixerat vir ingeniosus) *natus, educatusque Moses*

Bald. de calc. Ant. cap. 3.

Moſes, cum oves ſoceri ſui paſceret paſtorum Ægyptiorum more, ut credere par eſt, induebatur Huic ad rubum ardentem, ut Exodi ſacra monumenta teſtantur, accedenti, ut propius ſtupendum illud flammarum non comburentium oſtentum agnoſceret; Dominus Deus ſtatim edixit: ſolve calceamentum de pedibus tuis. Quod igitur erat illud calceamentum? Id enim ſacræ tacent literæ. Ut quid etiam Moſes eo calceatus ad rubum prohibetur accedere? uno brevique verborum contextu, ut bipartitæ quæſtioni fiat ſatis, pro Ægyptiorum paſtorum more, Calceamenta Moſis erant ex junco marino contexta: Ideoque Dominus Deus præſciens filium ſuum aliquando factum hominem, inter cæteras ſuppliciorum acerbitates, corona ex ejuſmodi junco marino compacta coronandum, vult ea calceamenta tolli, quod indignum videretur, ſervum id pedibus calcare, quo ipſius dominus aliquando eſſet coronandus. Meruit profecto hujus commenti auctor, ut, non laurea, ſed ex ejuſmodi junco compacta corona ipſi decerneretur, quæ ornaret lepidum profecto caput. Æque

in-

insulsum est quod alii excogitarunt, Mosis calceos stramineos sive junceos fuisse, & ideo deponendos, ne forte igne, quem accedebat, consumerentur. In quo commento tantum frigus est, ut vel stramineos Mosis calceos extinguere posset, si arderent.

V. Quod autem Moses itemque Josua pedes excalceare ad majorem numinis præsentis venerationem jussi sunt, originem dedit illius ritus, quo locis sacris reverentia semper habita fuit, ut calceati templa intrare, vel quæcunque alia loca sacra sint veriti. Nam Hebræi, cum scirent Deum quædam loca ob singularem suam præsentiam sacra habuisse & ut calceos exuerent hominibus præcepisse qui in iis stabant, multo sanctius esse templum rati sunt, in quo Deus præsentiam suam augustiori modo manifestabat, quod proinde בית המקדש *Domus sanctitatis* vocabatur, & habebat קדש הקדשים *sanctum sanctorum*, in quo Deus inter Cherubinos habitabat, & illud nulli calceato ingredi fas esse. Hanc ipsam Hebræorum magistri præ-

præcipuam dant rationem cur sine calceis templum sit intrandum, quia id Mosi præcepit Deus. In Gemara Babylonica ad ea verba Massechoth Berachoth quæ superius à nobis adducta sunt, post alia, quæ in templo vetita disputant, de calceo tandem concludunt. ומה מנעל בו דבר בזיון אמרה חורה של נעלך מעל רגלך *Sed quid de calceamentis, cum in iis nullus sit contemptus? dixit lex: solve calceamenta de pedibus tuis.* Quæ eadem ratio Christianos Æthiopes permovit, ut templa non adeant nisi discalceati, uti refert eorum Legatus apud Damianum Goensem. *Nobis non datur potestas templum adeundi nisi nudis pedibus, neque nobis licet in ipso ridere, loqui, ambulare, quia templa similia sunt monti Sinai, ubi dominus Mosi dixit: solve calceamentum, &c.*

Caput Tertium.

Gentilium sacerdotes, licet aliquando discalceati, tamen ut plurimum calceati rem divinam fece-

fecerunt. Sacerdotes Hebræorum non nisi nudipedes sacra peregerunt. Lex de sacris vestibus Exod. 28. In ea calcei non memorantur. Sacerdotes pluribus vestibus non induebantur, quam Deus præceperat. Unde nec calceos in sacris habuerunt. Quod etiam evincitur ex eorum lotionibus in atrio. Conclave sacerdotum inquo pavimento calefacto hiberno tempore inambulabant. Sacerdotum morbi vel præcipue oriebantur, quod nudis pedibus in pavimento starent. Quod ob sanctitatem loci ab iis exigebatur. Non vero ob eam rationem quam Stukkius innuere videtur. Multo minus ob eam quam non omnino improbat Johannes Braunius. Aaron male cum calceis exhibetur in tabulis quibusdam Insignis Plutarchi error, qui Pontificem

cem Hebræorum ποδήρεις *sacra feciſſe tradit, refellitur.*

I.

Ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει, *Nudis pedibus ſacrifica & adora*, olim fuiſſe Pythagoræ Symbolum ex Jamblicho diſcimus. Putavit nempe vir Deorum obſervantiſſimus, id exigere ſacrorum religionem, ut nudis pedibus res fiat divina. Quod tamen a ſacerdotibus gentilium non ita ſemper obſervatum fuit. Nam licet ſæpius ſacra fecerint diſcalceati, tamen ut plurimum calceati ſacrificarunt. Strabo quidem Germanorum ſacerdotes γυμνοπόδας tradit, & Silius Italicus Herculis Sacerdotes *nudipedes* deſcribit, quomodo Druidas ex vetuſtiſſimo templi cujuſdam ſaxo Cunradus Celtes ſiſtit, & alios ſacerdotes in antiquis marmoribus reperimus: Sacerdotes tamen Phænicum calceis lineis uſos apud Herodianum deprehendimus, & Ægyptios geſtaſſe ποδήρεις βύβλινα, *calceos papyraceos*, ex Herodoto diſcimus, quomodo compluIambl. de vita Pyth. Symb. 3.

Strabo l. 7. Sil. Ital. de bel. Pun. l. 3. Celtes in Norimb. cap. 3. Herodian. l. 5. de Sacrif Eliogabali. Herod. l. 2. c. 7. Braun. de Veſt Sac Hebr. l. 1 cap. 3.

res

res Sacerdotes calceati in antiquis nummis & marmoribus visuntur. Qua de re plura jam dudum monuerunt viri eruditissimi, & nuperrime multa congessit Johannes Braunius, in eximio opere de vestitu sacerdotum Hebræorum.

II. Apud Hebræos summa religione observatum fuit, ut non nisi nudipedes rem divinam peragerent sacerdotes. Cujus rei non leve argumentum est, quod inter vestes, quibus indui Sacerdotes supremum Numen præcepit, calcei non numerantur. Extat lex de vestibus sacris, quibus Deus indui voluit tum summum Pontificem, tum reliquos sacerdotes, cum sacris operarentur. Vestes illæ fuerunt *Ephod*, *Pectorale*, *Pallium*, *Aurea lamina Tunica*, *Cidaris*, *Balteus*, *Feminalia*. Sed qui sacerdotibus vestiendi modum præscripsit Deus calceos iis non indulsit. Voluit scilicet ut nudis pedibus sacris operarentur, nisi quod tunica utcumque essent tecti. Quodsane ostendit Hebræorum sacerdotes calceis caruisse, quia cum vestibus sacris nusquam memorantur. Diserte Exod. 28.

Exod. 28. 4. ferte Deus dixit *hisce vestibus sacerdotio fungentur mihi.* Ut plane calcei fuerint vetiti. Quod etiam Greg Nyss. in Cant. doctè observavit Gregorius Nyssinus, qui sacerdotes Hebræorum nudis pedibus templum ingredi solitos ex eo animadvertit, quia cum Dominus in antiqua lege cunctis membris sacerdotalibus ornamenta pulcherrima præscripsisset conficienda, nullam tamen de pedum calceamentis fecerit mentionem: *Volens*, inquit, *hoc ipsum pedi sacerdotali cultus pulcherrimi loco esse, quod ab omni tegumento nudus ac immunis esset, quia scilicet istis, in sacro consistendum pavimento.*

III. Hoc quam maxime ex eo confirmatur, quia plura vestimenta, quam præceperat Deus inter ministrandum induere, nefas fuit. Observant plurima Judæorum magistri de sacerdote quem vocant מחסר בגדים *deficientem vestibus*, & יתר בגדים *qui redundat vestibus*, & utrumque à sacris arcendum volunt. Sacerdotium nempe putant illegitimum, cum sacerdos ministerium obit sine quadam ex illis vestibus quas mandavit Deus, puta feminalibus

nalibus, aut balteo, aut cidari, aut tunica, itemque cum aliquo vestimento duplici est indutus, puta duabus tunicis aut balteis. Quin ad eo solliciti sunt Judæorum magistri, ne quis sacerdotio fungeretur pluribus vestibus amictus, quam lex divina postulabat, ut inter vestes superfluas quibus ministrare nefas, minutissima quæque reputent, *emplastra* scilicet & *ligamenta* in digitis, aut alia aliqua corporis parte. Videri possunt quæ ex Massecheth Zebachim in Gamara, itemque Barthenora & Mose Maimonide prolixius observavit vir eruditissimus Johannes Braunius. Imo Sacerdotibus nudis pedibus super pavimento standum volunt, ut si quis inter ministrandum forte stetisset vel super vestem aliquam, vel aliud instrumentum, quod forte jacebat, aut super bestiam, aut agnum imo vel super pedes socii, totum sacrificium illegitimum fuisset, uti ex eodem codice Zebachim, & Mose Maimonide, Braunius notavit. Hæc quidem superstitiose à verpis observata sunt. Magistri scilicet

Braun. de Vest. Sac. Hebr l. 1. cap. 3.

ineptissimi multa comminiscuntur, quibus ostendunt se τὸ χώνωπα διυλίζειν. Tamen cum hæc caveant tam sollicite Rabbini, sacerdotes olim non nisi nudipedes sacris ministrasse, & nullis calceis aut pedum integumentis in templo usos, constare potest.

IV. Idem docent Sacerdotum lotiones, quæ in Atrio fiebant, Sacerdotibus, cum tabernaculum aut templum essent ingressuri, ubi Thymiama Domino in altari esset offerendum, in mari æneo pedes lavare lex divina præcepit. Ita enim legimus. *Et missa aqua lavabunt in eo* (mari nempe æneo) *Aaron & filii ejus, manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo Thymiama Domino, &c.* Fit quidem solius lotionis mentio, ad quam sacerdotes, sacris perficiendis sese accingentes, tenebantur. Inde tamen concludi sat evidenter potest sacerdotes, sacris operantes, discalceatos fuisse. Quis nescit, lotionem tam solemnem, nisi calceamentis, siquidem illis alias uterentur

Exod. 30. 19. 20.

tur, prius exutis, peragi non potuisse? Sane ante lavandum, *immundißimam pedum tutelam*, removere sacerdotes decuit. Quis credat sacerdotes, postquam loti fuerunt, calceamenta pedibus suis induisse, & non potius sibi persuadeat discalceatos & sacrificasse, & alia munia sacra perfeciisse, cum inter eorum vestitum, quem ipse Deus præscripsit, nusquam calcei appareant, & vel ii, qui apud Hebræos sacerdotes non fuerunt, sed tantum privati, &, ut ita dicam, profani homines, templum non adirent nisi discalceati. Atque hoc ex eo robur accipit, quod Talmudici referant conclave fuisse peculiare, in quo sacerdotes, qui non nisi nudipepes in templo poterant versari, hyberno præsertim tempore calefieri poterant citius, pavimento calefacto inambulantes. Videri potest Codex Middoth, in quo describitur בית המוקד *locus incendii*, sive *focarium*, de quo notavit hæc vir nobilissimus & eximius Constantinus l'Empereur. *Ab ardendo nomen habet hæc structura, quod ibi*

Middoth cap. 1. § 6. & ad eum l'Emper.

perpetuo lignorum ſtrues arderet, idque in uſum ſacerdotum, quo paratum ſemper haberent ignem, quandoquidem diſcalceatis pedibus in loco ſancto verſari tenebantur. Itemque ex eo, quod delecti ſunt qui publice ſacerdotum curarent valetudinem. At cauſa vel præcipua morborum fuit, quod nudis pedibus in pavimento ſtarent. Ita Batthenora inter varias cauſas, unde ſacerdotes dolore viſcerum laborarent, vel primam ponit: לפי שהכהנים הולכים יחפים על הרצפה *quod ſacerdotes incederent diſcalceati ſuper pavimentum.* Jam ſi Theodoretum rogemus, *qua ratione oporteat ſacerdotes in Tabernaculo deſervire?* reſpondebit: *nudis pedibus iſtos ſacrificia divina peregiſſe.*

Theodor. in Exod. 3. Quæſt. 7.

V. Neque ratio eſt obſcura, cur pedes ſacerdotum calceis non muniverit Deus, & ſacerdotes in templo verſati ſint diſcalceati. Voluit enim hoc Deus ob eandem rationem, ob quam Moſi atque Joſuæ juſſit, ut calceos extraherent, quia locus, in quo ſtabant, ob ſingularem ipſius præſentiam, ſacer erat. Quam rationem R. Moſes Bar Nach-

Nachman Gerundensis annotavit, sane verissima est & unica hujus instituti causa. Nam explosa est eorum opinio qui putant sacerdotibus calceos fuisse prohibitos, quia ex cadaverum pellibus constabant, quæ secundum legem immundæ haberi poterant, quod videtur innuere vir doctissimus Guilhelmus Stukius, cum non necesse sit, ut sacerdotes calceos haberent ex animalium pellibus, & pelles animalium minime immundæ secundum legem fuerint, uti vel ex eo constat quod ipsum Tabernaculum, & omnia ipsius vasa pellibus olim tegebantur. Videri possunt, quæ nos superius notavimus de pellibus תחשים, quibus Tabernaculum tectum fuit, quæque super arcam & mensam & candelabrum, & altare æneum & omnia vasa ejus expandi jubentur. Nisi cadavera de morticinis intelligantur. Ex quorum pellibus utique non necesse fuit ut calcei conficerentur, cum alia materia suppeteret abunde. Pariter non placet quod alii dicunt, *nullos fuisse calceos sacerdotibus, ut in templo moram & abstinentiam ab*

Stuk. Ant. conviv. l. 2. cap. 27.

lib. 1. c. 3.

extraneis negotiis sic imperatam scirent, quoniam domestica opera nudis pedibus, forensia calceati curabant, quam rationem se non omnino improbare posse vir pereruditus Johannes Braunius dicit. Hoc enim nimis longe petitum, & allegoricum est. *Sacerdotes quamdiu in Templo occupati erant, reputari domi esse, & rem patris cœlestis curare, unde etiam Christus, qui in Templo inter doctores sedebat, dixit* ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με, *adeoque calceos gestare non debuisse, ut nulli alii negotio implicati*, vir doctus quidem monet. Sed hæc istius ritus ratio, nimis profecto jejuna foret, &, ut verè dicam, frigida. Nam quod addit: *Hinc non tantum calceos deponere jubentur, sed & baculum, quo inter perigrinandum per vias uterentur, nec pecuniam, nec crumenam, aut linteum, quo pecuniam involverent, secum ferre licebat, his enim uti solebant iter facientes, & ii qui negotiis urbanis inhærebant*, eam rationem nihil omnino juvat. Quis quæso! sibi persuadebit hæc eam ob causam vel instituta, vel ab Hebræorum sacerdotibus observata, ut homines

Braun. de Vest. Sac. Hebr. l. 1. cap. 3.

homines referrent qui domi munia sua discalceati obeunt, aut sine baculis, crumena, aut linteo, incedunt? Quasi vero quia calceamentis, vel baculo iter facientes, & qui negotiis urbanis inhærebant utebantur, hæc sacerdotibus Hebræorum fuissent vetita, qui, cum in templo munia sua perficiunt, reputantur domi esse? Quod vero subjecit, *inde etiam Christum discipulis suis, postquam eos per totum terrarum orbem, ad prædicandum Euangelium misisset, vetuisse more solito favere:* Μὴ κτήσεσθε χρυσοῦν, μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν, μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα μηδὲ ῥάβδον. *Ne possideatis aurum, aut argentum, neque æs in zonis vestris, neque peram ad iter, neque duas tunicas, neque calceos, neque baculum. Ut pote, qui eodem habitu eos accinctos voluit, quasi ituros ad templum, rem divinam facturos, quia revera totus orbis, si officium spectes, iis quasi domus Dei, atque sanctissimum aliquod templum fuit, & ubique locorum supremi* δεσπότου *Christi æternitatis patris, rem faciebant*, in eo vehementer falli-

Matth. 10. 9. 10.

tur. Calceos enim suis discipulis Christus non prohibuit, & longe alia fuit istius præcepti ratio, uti superius docuimus. Neque *hæc fortassis etiam causa fuit, ob quam verpulorum magistri tam expresse ve-*
lib. 1. cap. 6. *tuerint populo, templum ingredi:* במקלו ובמנעלו ובפונדתו ובאבק שעל רגליו לא יעשה קפנדריא ולא במעות הערוין לו בסדינו *cum baculo, aut calceo, aut marsupio, aut pulvere super pedes, nec compendii causa, nec cum pecunia ligata in linteo.* Id enim vir doctus minime ignorat ob sanctitatem loci factum. Quæ sane est unica ratio, cur & ii qui Templum adibant essent discalceati, & sacerdotes non nisi nudipedes sua munia obirent.

VI. Hoc cum jam dudum à viris doctis observatum sit, Hebræorum sacerdotes dicalceatos fuisse dum rem divinam facerent, nescio cur Aaron cum calceis sæpe repræsentetur. Occupavit hic error tabulas vulgares, quæ Belgicis Bibliis inseruntur. Videatur tabula peregrinationis Israelitarum in deserto, &, quod mireris, Mosis pedes in ea nudi, Aaronis

ronis vero aliquo involuti integumento apparebunt. In tractatu quoque Hieronymi Magii, quem de Tintinnabulis conscripsit, Pontifici Hebræorum Thymiamata facienti, calcei appinguntur. Excusari hæc possunt, quia uti poëtis, ita & pictoribus,

Mag. de Tintinn. pag. 456

Horat.

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

At Plutarchi insigne est erratum, qui Pontificem Hebræorum festis diebus κοθόρνοις sacra fecisse tradit. Est in eo totus scriptor gravissimus, ut Bachum à Judæis cultum ostendat. Probare hoc aggreditur ex eorum Pontifice: πρῶτον μὲν, inquit, ὁ ἱερεὺς ἐλέγχει, μιτροφόρος τε περιὼν ἐν ταῖς ἑορταῖς καὶ νεβρὶδα χρυσόπαστον ἐνημμένος χιτῶνα τ' ποδήρη φορῶν καὶ κοθόρνους. *Primum enim Pontifex hoc arguit, mitratus ingrediens diebus festis, & hinnuli pellem auro contectam indutus, tunicamque talarem gestans & cothurnos.* Sed Plutarchus vehementer fallitur, cum talia affingit Hebræorum Pontifici, quæ ab eorum institutis perquam aliena sunt. Falsum

Plut. Sympos. lib. 4.

enim est diebus festis Pontificem Hebræorum cothurnos gestasse, qui cum reliquis sacerdotibus semper nudipes sacra peragebat. Nam quemadmodum omnes sacerdotes, cum sacra munia obirent, nudis pedibus fuisse constat, ita Pontificem diebus festis fuisse nudipedem res est certissima cum inter ejus vestes nulli quoque calcei memorentur. Sed hæc Plutarchum, scriptorem alias gravem & comprimis eruditum, tradidisse, nemo mirabitur, qui meminerit eum plurima in Symposiacis adversus Judæos futilia scribere. Quale est illud, quod serio asserere non dubitat, eos πρῶτον ὄνον ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος colere asinum, qui iis monstraverit aquæ fontem. Quod commentum, ab aliis etiam proditum, jam dudum explosum est. Scilicet Plutarchus & alii scriptores, qui de Judæorum institutis aliquid memoriæ prodiderunt, eorum religionis fuerunt nimime intelligentes, unde plurima narrant, vel ipsi fingunt in contumeliam gentis, quæ prorsus sunt ridicula, & se ipsa destruunt.

Ca-

CAPUT QUARTUM.

Varia humilis coram Deo animi indicia apud veteres Hebræos fuerunt. Etiam inceſſerunt nudipedes. Male id colligitur ex exemplo Achabi 1. Reg. 21. 27. *non* diſcalceatum, *ſed* ſenſim, pedetentim, *notat. Judæi in feſto expiationis nudipides. Etiam in Tiſcha Be Af.* Nudipedalia *quale feſtum apud veteres. Multi Chriſtiani in publicis ſupplicationibus nudipedes. Nudipedalium origo non ex Judæorum Jejuniis & γυμνοποδίαις petenda. Vota nudis pedibus ſoluta. Berenices exemplum. Juvenalis locus explicatur. Error Juvenalis. Judæi ſabbata non obſervarunt mero pede. Alius error Juſtini, Petronii, Martialis, Auguſti, Strabonis. Judæi Sabbatis non jejunarunt. Juvenalis errorem rectè à criticis*

ticis notatum contra Johannem Braunium ostenditur.

I.

APud Hebræos olim varia fuerunt humilis animi coram Deo & abjecti signa. Indicebant jejunii dies. In iis jacebant in sacco & cinere, & squalidi obambulabant. Ita Achabus *scidit vestes suas, & sacco corpus suum operuit, & jejunavit.* Ipse Rex Ninive, cum audivisset imminens exitium quod minabatur Jonas, non tantum ipse *vestes regias deposuit, & induit se sacco, & sedit in cinere*, verum etiam edicto sanxit, *ut & homines & jumenta saccis operirentur, & nec homines, nec jumenta, nec boves, nec oves, quidquam gustarent, aut pascerent aut aquam biberent.*

1. Reg. 21. 27.

Ion. 3. 6. 9.

II. Hebræos etiam olim incessisse discalceatos ut coram Deo humilem & abjectum animum ostenderent, ex Achabi exemplo colligi posset, si vera foret multorum interpretum sententia qui vocem נעל vertunt *discalceatum* Ita habent

habent Chaldæus, Syrus & Arabs, cum quibus facit R. Salomon Jarchi, & vir suo seculo Hebraicè doctissimus Sebastianus Munsterus, quomodo hunc locum etiam accepit Flavius Josephus, qui γυμνὸς τοῖς ποσὶ δηγεν *nudis pedibus incessit*, de Achabo dixit. Sed vocem עט nunquam pro *discalceato* poni, sed in Hebræorum lingua non aliud significare, qnam *leniter*, *sensim*, *pedetentim*, inter alios optime docuerunt viri magni Samuel Bochartus, & Johannes Coccejus, quam notionem complures interpretes agnoscunt. Neque vanum est quod conjecit Samuel Bochartus fortasse ab illo עט *at*, quod proprie gressus tarditatem & lentitudinem sonat, עטה *atta*, primo Punicè, deinde etiam Latine dictum esse, qui propter crurum vitium non nisi lente incedit: Festus: *Attæ appellantur, qui propter vitium crurum aut* (forte haud) *pedum plantis insistunt, & attingunt magis terram, quam ambulant, quod cognomen Quintio Poëtæ adhæsit.* Glossæ. ὁ τοῖς ποσὶν βεχόμενος βραδυτῆτι. Quare cum עט in Hebræo-

Joseph. Antig jud. l. 8. c. 7.

Bohart. Hieros. p. 1. pag. 600.

Coccej. Lex. Hebr.

rum lingua non notat *discalceatum*, sed sit idem, quod *sensim*, *pedetentim*, *lente*, neutiquam Achabus incessit *discalceatus*, sed *lente*, tanquam præ mærore languens.

III. Licet vero non doceat Achabi exemplum Hebræos olim in signum humilis & abjecti animi incessisse nudipedes, tamen aliunde id abunde discimus. Non tantum sacerdotes, sed & totum populum discalceatum incessisse in magno expiationis die, quem κατ' ἐξοχὴν יומא vocant, id est *diem*, vel etiam יום הכפורים *diem expiationis*, constat & Massecheth Joma. יום הכפורים אסור באכילה ובשתיה וברחיצה ובסיכה ובנעילת הסנדל ובתשמיש המטה והמלך והכלה יחצו את פניהם והתינוק תנעול את הסנדל דברי רבי אליעזר וחכמים אוסרין *In die expiationum prohibitum est in cibo, & in potu, & in lotione, & in unctione, & in indutione sandalii, & ministerio lecti. Rex vero & sponsa lavant facies suas, & puerpera sandalia induit. Verba R. Eliezeris. Sed sapientes prohibent.* Eadem ferme habet Jonathan ad locum Levitici, in quo præceptum Dei de

Ioma cap. 8. § 1.

Ionath. ad Lev. 16. 29. & ibid. Drusius.

de festo expiationis legitur, uti observavit vir præstantissimus Johannes Drusius: Ita enim παραφράσει. *Affligetis animas vestras abstinendo à cibo & potu, item à procreatione liberorum, & ab absterſionibus, & à calceamentis, & ab usu lecti.* Quibus similia ex Hiskuni profert: *Ut die Cippurim vetitum est comedere & bibere, ita quoque vetitum est lavare, & ungere, & induere sandalia, & coire in lecto, eo quod hæc omnia vocantur afflictio animæ.* Paria Jonathan habet ad Lev. 23. 27. וחשמיש ערסא ומנדלא *à concubitu lecti, & calceamento*, & ad Num. 29. 7. מסנדלא וחשמיש *à calceamento & concubitu.* Cæterum quod ad sandalia sive calceos, id tantum de coriaceis esse intelligendum doctissimus Scheringhamius, qui tractatum Thalmudicum Joma latinum dedit, observavit, atque id probat ex Arba Turim in Hilcoth Jom Hakkippurim: מותר לילך באנפלאות של בגד לא שנא בבית שנא ברשי הרבים *Licitum est* (in illo die expiationis) *incedere impiliis, nihil interest sive privatim sive publice.* Scilicet אנפלאות *impilia*, id est soccos ex panno aut aliqua

Schering. ad Ioma.

aliqua alia materia confectos, uti vocem hanc significare, quæ viros maximos exercuit, prolixe docet vir summus Johannes Seldenus, permittunt magistri, cum perinde hoc sit ac si aliquis incedat discalceatus. Idem confirmat ex Menasseh ben Israel. Quæ eadem in Synagoga Judaica magnus Buxtorfius annotavit. *Nemo calceos, ne quidem uni pedi induere debet; Sic qui pede uno mutilus est, ei non licet fulcrum seu pedem factitium alligare aut applicare, inprimis si sit ex corio: quia ex his commodum & delectationem capit homo: Senes vero & debiles, quodam morbo aut plaga laborantes, aut ii quibus frigus nocet, soccos laneos induere possunt, vel in schola in pulvillum stare. Si quis etiam sit in loco, ubi à scorpionibus est periculum, licet ei & coriaceos calceos inducere.* Sed coriaceis calceis præterea infirmos & vulneratos uti posse refert Menasse Ben Israel, celebris ille nuper Archysynagogus Amstelodamensis. Hoc ipso vero expiationum die Judæos ad Synagogam currere nudipedes, vel laneis aut lineis soccis indutos,

Seld. in cix. Hebr. l. 1. c. 14.

Buxt. in Syn. jud. cap. 26.

etiam-

etiamnum videre est.

IV. Id ipsum fiebat in celebri illo jejunio, quod quinto mense, qui אב *Af* dicitur, celebratur, unde & communiter תשעה באב *tischa Be Af* vocatur. Videri de hoc jejunio potest vir CL. Johannes Buxtorfius. Eo die Judæos esse nudipedes, neque fas esse calceis uti, etiam observavit Johannes Braunius. Imprimis memorabile est quod Buxtorfius narrat inter ea quæ decenter ad ejus celebrationem præparandam faciunt, ex quo Mensem *Af* sunt ingressi, ab ipsis Calendis, usque ad Nonas: *Calceos*, inquit, *nullus sutor facere debet, ne quidem aliis pro mercede: calceos novos, vel ullum aliud vestimentum novum, nemo induet.* De ipsa vero solemni celebratione notat. *Prima vespera calceos exuunt, & nudis pedibus in scholam eunt.*

Buxt. Synag. Iud. cap. 30. Braun. de Vest. Sac. l. 1. c. 3.

V. Ab hoc ritu originem petierunt viri eruditi sacrorum Nudipedalium, quæ apud Græcos, Romanos, Barbaros, celebrata fuerunt, ad impetrandos de cælo imbres. De his Tertullianus: *De-*

Tertul. Apolog. cap. 4.

Denique cum ab imbribus æstiva hiberna suspendunt, & annus in cursu est, quidam quotidie pasti, statimque prandsuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denuntiatis, cælum apud Capitolium quæritis nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso Deo & cælo. Cujus moris specimen aliquod in variis Galliæ locis hodieque retineri, & ad eliciendas aquas nudis pedibus loca sacra homines supplices adire, Petrus Daniel Huetius, magnum literarum & omnis eruditionis ornamentum refert. Sed & alias id factum ex Plinio discimus: *Privatim autem*, inquit, *contra erucas ambiri arbores singulas à muliere incitati mensis nudis pedibus recincta.* Quia Christianos veteres in supplicationibus incessisse nudipedes multis ostendit vir doctissimus Benedictus Balduinus. Quomodo & Cardinalis Borronæus, cum pestis Mediolani grassaretnr, indicta sæpe publica supplicatione, nudis pedibus incessit, & plures ad eius exemplum, uti narrat vir doctissimus Martinus Gejerus. Sed Nudipe-

Huet. Dem. Euang. Prop. 4. cap. 11.

Plin. l. 18. extremo.

Bald. de Calc. Ant. cap. 23.

Gejer. de Luct. Heb. pag. 299.

dipedalia aliunde originem habere quam à solemnibus jejuniorum diebus, qui inter Judæos in magnis calamitatibus observati sunt, ego suspicor. Nudi pedalia proprium fuisse Judaici populi festum omnino perperam Thomas Dempsterus notavit ex Josephi loco, quem mox adducemus: Pro ratione quidem & necessitate temporis sæpe jejunia instituta sunt, quæ nudis pedibus à Judæis peragebantur, non tamen nudipedalia proprium festum Judaici populi fuerunt. Uti enim hodie Judæi ingruentibus in civitatem aliquam calamitatibus publicis, peste puta grassante, aut uredine aut rubigine frumentum invadente, item propter pluviarum vel defectum vel nimiam abundantiam, indicunt jejunia, ita olim etiam à sanctis patribus institutum fuit. Quæ quidem jejunia variis signis humilis animi observarunt, uti hæc hominibus quasi innata religio est, ut externis indiciis studeant declarare abjectum & humilem animum, ut divinum favorem eo magis sibi concilient. Pariter Nudipedalia urgen-

Dempst. ad Ros. pag. 439.

gentibus neceſsitatibus inter gentiles inſtituta ſunt, ut divinum favorem in ſe elicerent, non Judæorum exemplo ſed inſtinctu humani ingenii quod ad talia proclive eſt. Putarunt enim ſe hac ratione Deos ſibi reddituros magis propitios. Quamvis à Judæis ad Chriſtianos veteres, & inde ad ſuperſtitioſos in Gallia hæc religio perveniſſe videri poſsit, ad quam tamen plurimum contulit hominum ad talia proclivitas.

VI. Sed & vota nudipedes ſolverunt. Illuſtre eſt Berenices exemplum, quod Joſephus refert: Joſeph. de Bel Iud. l. 2. c. 15.

Ἐπιδὴ δ', inquit, ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις εὐχὴν ἀποτελεῖσθαι τῷ Θεῷ. Τοῖς γὰρ νοσῳ ἢ πονηροῖς, ἢ ποίαις ἄλλαις ἀνάγκαις, ἔθος εὔχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν, ἧς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας, οἴνου τε ἀφέξεσθαι, καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας. Ἃ δὴ τότε τελοῦσα Βερνίκη, γυμνοπὺς τε πρὸς τῷ βήματι τῷ ἱκέτευσε τὸν Φρυγῆ: *Veniebat autem Hieroſolymam ut vota Deo ſolveret: His enim qui morbo vel aliis neceſsitatibus implicantur, mos eſt orare per triginta dies antequam immolent hoſtias, abſtinere quoque vino*

& capillos radere. Quem morem Bernice illis diebus exercens, nudipes etiam ante tribunal deprecata est Florum. De eadem Bernice Hegesippus. *In conspectu Berenices, quæ soror Agrippæ regis ad templum religionis causa venerat, acerbissima cæde in populum desæviebat: nec obsecranti deferendum arbitratus, cum inservientem religioni nudis pedibus adstantem videret.* Hegesip. l. 2. c. 8.

VII. Hujus historiæ notitia ad Juvenalem perveniſſe videtur, qui de Berenice canit. Juven. sat. 6.

—— Deinde Adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede Sabbatha Reges.

Vetus Juvenalis Scholiastes hæc de Agrippa Augusti nepote, & sorore ejus Julia intelligit: Sed optime observarunt viri pereruditi, hoc omnino capiendũ de Berenice Agrippæ Regis sorore, quæ nudo pede ad Flori tribunal accessit, cujus

cujus γυμνοποδίαν perstringit Juvenalis. Erravit tamen Juvenalis, cum Judæos dicit sua Sabbatha *mero*, hoc est nudo, *pede observasse*. Nemo enim putet hoc unquam à Judæis factum. Est enim, & semper fuit ab eorum moribus alienissimum. Quantopere à γυμνοποδίᾳ absit Sabbathi superstitiosa observatio videre est in Synagoga Judaica magni Buxtorfii, cum Judæi potius quam ut incedant nudipedes omnibus vestibus sabbatinis se induerent, ut Sabbathum vel vestium luxu honorent. Sed erroris hujus origo facile indagari potest. Apud Judæos olim fuerunt varii jejuniorum dies. Præter diem expiationis, qui singulis annis ex lege Mosis jejunio celebrabatur, quatuor publica jejunia singulis annis indici solita, ex Zachariæ vaticiniis colligi potest. *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi mensis erit domui Judæ, in gaudium & lætitiam, & in solemnitates præclare.* Ex quo loco etiamnum Judæi quatuor jejunia publica & solemnia propter calamitates & afflictio-

Buxt. Syn. Iud. cap. 15. 16.

Zach. 8. 19.

afflictiones, quæ illis diebus olim patribus ipsorum contigerunt, celebrare solent. Videri de his potest Synagoga Judaica magni Buxtorfii, qui de singulis agit prolixe. Sed præter ea jejunia, quæ singulis annis stato tempore recurrebant, alia adhuc sæpe pro re nata indicebantur. Iis temporibus quibus solemniter jejunabant, nudis pedibus incedebant Judæi. Cum vero Juvenalis accepisset, nudo pede ad Flori tribunal accessisse Berenicen, & in usu Judæis esset ut jejunii tempore incederent nudipedes, errore sui ævi, sabbatha ab ipsis regibus mero pede, id est nudo, observari cecinit. Scilicet cum Judæi non ipsis Sabbathis, hoc est septimo quoque die, quem religiose colebant, sed jejunii diebus nudis pedibus incederent, id accepit Juvenalis perinde ac si Sabbathis id ipsum observarent. Eadem ratione, qua errorem alium à veteribus commissum scimus, qui Sabbathum jejunio celebrari à Judæis volunt. Hanc communem quondam opinionem fuisse, non inepte quis

Buxt. Syn. Iud. cap. 30.

Iust. l. 36. cap. 2. quis colligat ex his Iustini verbis: *Moses, Damascena antiqua patria repetita, montem Synan occupat, quo septem dierum jejunio, per deserta Arabiæ cum populo suo fatigatus, cum tandem venisset, septimum diem more gentis* Sabbatum *appellatum, in omne ævum jejunio sacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat:* Eundem errorem passim, apud Poëtas qui Judaicam gentem exagitant, reperimus. Petronius in Epigrammate quo Judæos proscindit:

Et non Jejuna Sabbata lege premit.

Martialis quoque:

Quod jejunia Sabbatariorum:

h. e. Iudæorum, qui Sabbata jejunio celebrant. Idem ipse Augustus apud Suetonium putavit. Ne *Judæus quidem*, scribit, *mi Tiberi, tam diligenter Sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi, qui in balineo demum post horam primam noctis duas bucceas manducavi, priusquam ungi inciperem.* Neque ab hoc errore immunis fuit Strabo. Sed nihil à Judæorum moribus magis alie-

Suet. in vita Aug. cap. 76.

Strabo Geogr. lib. 16.

alienum est quam Sabbatum jejunio celebrare in quorum ritualibus etiam hoc nostro tempore legitur genio indulgendum Sabbathi die. Quia jucundas aliquot historias, hoc est ridiculas fabellas, quales nempe dignæ sunt cerebro Rabbinorum, in Talmude suo habent, quibus voluptas & deliciæ summus Sabbati honor esse probantur. Videri potest Tractatus Talmudicus שבת sive *de Sabbatho*, quem Sebastianus Shavidius Latinum dedit, itemque quæ observata sunt in Synagoga Judaica magno Buxtorfio. Ut nunquam Iudæi sabbatha sua jejunio celebrarint. Unde neque in sacris monumentis, aut Iudæorum commentariis, ullum hujus moris vestigium occurrit. Sed & hujus erroris origo patet. Veteres cum à Iudæis crebra jejunia servari viderent, etiam putarunt ipsum Sabbathum, id est septimum diem, quem religiose colebant, jejunio celebrari. Optime hoc observavit Magnus Casaubonus. *Romani*, inquit, *qui norant crebra ab iis usurpari jejunia, cum præcipua castimonia Sabbatum*

Buxt. Syn. Iud. cap. 15.

Casaub. ad Suet. Aug. c. 76.

ab iisdem celebrari viderent, ignari morum ejus gentis, id sibi temere persuaserunt. Atque uti ex crebris Iudæorum jejuniis putarunt Romani etiam Sabbata jejunio celebrari, ita Iuvenalis, qui sciebat Iudæos diebus jejunii nudis pedibus incedere, id etiam de Sabbatho sibi persuasit: unde cum historiam de Bernice referret, quæ nudis pedibus coram tribunali Florum deprecata est, cecinit,

Observant ubi festa mero pede Sabbata reges.

Hæc cum sint certissima, nescio cur vir Doctissimus Iohannes Braunius Iuvenalem defendere, ac si à Criticis sine causa inscitiæ accusatus esset, voluerit, & Sabbata apud Iuvenalem de jejuniis explicarit: Postquam monuisset Iudæos *in die expiationum*, itemque *tischa be Af* nudis pedibus incedere, & ad hæc sibi videri Iuvenalem respexisse: *Ergo nudo pede*, inquit, *observant* Sabbata, *id est*, jejunia. *Præsertim diem expiationum, qui vocatur* שבת שבתון *quasi diceres*, Sabbatum quietis. *Levit.*

Braun. de Vest. Sac. Hebr. l. 1. cap. 3.

cap.

cap. xvj. Quod velim Criticos obſervaſſe, ne Juvenalem impoſterum inſcitiæ accuſarent, quaſi per Sabbata intellexiſſet, diem illum, qui ſingulis hebdomadibus recurrit, id eſt, diem Saturni, quo die ſane non jejunabant, nec etiam nude pede incedebant. Sane Iuvenalem *Sabbata* dixiſſe *jejunia* non credo Braunium facile probaturum. Vocant quidem Iudæi diem expiationum שבתון ſed tam doctum fuiſſe Iuvenalem qua ratione adſtruet? Cum Auguſtum, Strabonem, Iuſtinum, in illo errore fuiſſe, Iudæos Sabbatum, id eſt, ſeptimum diem obſervaſſe, ut diem jejunii, ipſe vir doctus non ignoret, neſcio cur ſibi perſuaſerit aliter putaſſe Iuvenalem, quam Iudæos *Sabbata*, id eſt ſeptimum diem, qui ſingulis hebdomadibus recurrit, nudo pede obſervare. Nam uti alii erraruntt, qui Iudæos Sabbatis jejunia ſervare exiſtimarunt, ita Iuvenalis erravit, qui feſta Sabbata mero pede obſervare Reges dixit, quod optime Critici monuerunt.

Caput Quintum.

Luctus & dolor variis signis proditus. Hebræi in luctu incesserunt nudis pedibus. Davidis exemplum 2. Sam. 15. 30. Virginum item Vestalium. Flori locus, aliter ac vulgo fit, exponitur. In loco Mich. 1. 8. duplex peccatũ Græcorum interpretum. Calceis captivos spoliare veteres soliti. Obscurum locum Jer. 2. 25. ex hac consuetudine exponunt Castalio & Coccejus. Ab iis dissensum. Nostra istius loci explicatio. Meretricum pedes nudi & discalceati. Vini avidæ meretrices. Hugonis Grotii sententia leviter notata. Ob luctum mortui nudis pedibus incesserunt Hebræi. Locus Ezech. 24. 17. De eodem ritu plura ex Maimonide, quem etiam observant hodie Judæi. Ex Suetonio morem hunc fuisse apud Roma-

Romanos, ut in funeribus essent discalceati observarunt Balduinus, & Braunius Male. Non fuit ritus usitatus in funeribus, sed honor peculiaris Augusto habitus. Quod prolixius ostenditur.

I.

INgens mœror, qui animo concipitur, vel ex Reipublicæ calamitate, vel ex ejus, qui nobis charus erat, acerbo interitu, sicut vultu proditur & aspectu, ita externo quodam ritu ac signo ostendere semper in usu fuit. In privato itemque publico luctu videre est priscos passis crinibus, coma discerpta, intonsa barba, scissis vestibus, cinere conspersos passim incedere, ut dolorem, qui ipsos coquebat, & versabat sub pectore fixus, externo squalore indicarent. Pleni sunt de his ritibus lugentium omnes libri, plena omnium monumenta, ex quibus multa jam dudum collegerunt viri eruditissimi. Ut imprimis qui de luctu & lugentium ritibus librum edidit vir celeberrimus Martinus Gejerus.

II. Calceos etiam videmus Hebræos neglexisse, & nudis pedibus ivisse, cum aut Rempublicam gravior quædam calamitas opprimeret, aut ereptos sibi charos lugerent. Illustre est Davidis exemplum, qui in magno mærore fugiens arma filii Absalomi, *ascendit per montem olivarum, flens, capite operto, & יחף discalceatus.* Scilicet Hierosolyma pulsus à rebelli filio, cum signis variis dolorem animi ex prisco more indicaret, etiam יחף *discalceatus* fuit, licet per viam arduam & asperã se reciperet in desertum. Huic puto omnino geminum, quod apud Florum ob imminens à Gallis periculum *Virgines simul ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur.* Equidem scio viros longe eruditissimos Isaacum Casaubonum, Benedictum Balduinum, Iohannem Braunium & complures alios ad religionem referre nudos Vestalium pedes, & ex hoc loco colligere Virgines Vestales, nudis pedibus sacrificasse. Hoc utique certum haberemus, si aliunde constaret nudis pedibus Vestales Virgines

2. Sam. 15. 30.

Flor. lib. 1. cap. 13.

Casaub. ad Suet. Aug. cap. 101. Bald. de Calc. Ant. cap. 23. Braun. de Vest. Sac. pag. 64. Choul. de la relig. des Anciens Rom. pag. 217.

sacra

sacra feciſſe. Exhibuit nummos Guilhelmus Choulius, qui Religionem veterum Romanorum sermone Gallico descripsit, unum Lucillæ alterum Faustinæ, in quibus visuntur Virgines Vestales sacra facientes, qualem etiam dedit vir omni elegantis doctrinæ genere politissimus, meus, quod mihi duco gloriæ, quondam doctor, Johannes Georgius Grævius, qui ex Nummis & monumentis antiquis Florum illustravit, ex quibus licet non evidenter videri possit an sacra sua peregerint nudipedes, colligere tamen est proclivius eas nudo pede non sacrificasse. De Vestæ Æde quidem Ovidius canit:

Græv. ad Flor. pag. 10.

Ovid. Fast. 4.

Hue pede matronam nudo discurrere vidi,

sed id ad certum religionis aut superstitionis ritum referendum est. Quare Virgines è sacerdotio Vestæ, non quod alias solerent esse nudipedes, aut nudis pedibus sacrificarent, sed ob luctum & summum periculum, quod à Gallis urbi imminebat, qui fuso exercitu jam mœnibus appropinquabant, *nudo*

pede fugientia sacra comitasse videntur, plane uti olivarum montem rex David discalceatus ascendit.

III. Si sequeremur Græcos interpretes aliud exemplum de nudis pedibus ob luctum publicum occurreret apud Micheam. Commemorat Propheta Dei judicia quæ Samariæ imminebant, ac propterea *se plangere, & ejulare, & ambulare vestibus laceris & nudum* dixit. Sed hunc locum Græci reddiderunt: Ἕνεκεν τούτου κόψεται, καὶ θρηνήσει, πορεύσεται ἀνυπόδητος καὶ γυμνή. Pro שולל, quod in Hebræo est, & *spoliatum* notat, habent Græci ἀνυπόδητος. Ad quæ verba Cyrillus Ἡ δὲ γυμνότης, καὶ ἀνυποδησία τὸ τῶν αἰχμαλώτων σχῆμα δείκνυσι: *Nuditas autem & discalceatio captivorum habitum designat.* Sed duo in hoc loco Græci interpretes peccarunt. Nam & verba hæc referunt ad Samariam, quasi ea plangeret, & ejularet, & incederet nuda, cum tamen verba sint Prophetæ, qui hæc commemorat de se ipso: & Hebræam vocem שולל non recte vertunt ἀνυπόδητον, cum proprie notet *spoliatum*, ac

Mich. 1. 8.

de

de laceris & sciſſis veſtibus videatur dici; niſi cui magis placeat ut Propheta dicatur incedere שולל hoo eſt *expers conſilii*, præ animi nempe dolore. Sane hoc ſenſu apud Jobum ea vox uſurpatur dum dicitur: *qui conſultos incedere facit* שולל, hoc eſt *abſque mente*, expertes conſilii. Iob. 12. 17. & 19.

IV. Rectè tamen notavit Cyrillus, ἀνυποδησίαν τὸ τῶν αἰχμαλώτων σχῆμα δεικνύειν *diſcalceationem captivorum habitum oſtendere.* Solitos veteres non tantum veſtibus verum etiam calceis captivos ſpoliare jam ſuperius innuimus. Illuſtris eſt locus qui in Annalibus legitur: Pekak, Remaliæ filius, Rex Samariæ, Judæorum centum & viginti millia ceciderat uno die, & ducenta millia abduxerat captivos & ſpoliarat. Hos captivos non tantum veſtibus, verum etiam calceis fuiſſe ſpoliatos ex eo videre eſt, quod ubi monitu Prophetæ Oded reducerentur, diſerte narretur: *Viri autem, quorum nomina ſunt expreſſa, acceperunt captivos, atque ex præda veſtiverunt omnes nudos, & calcearunt.* Æque inſignis eſt apud l. 1. c. 1. 2. Paral. 28. 15.

Ies. 20. 1. & seq. Iesaiam locus: *Jubet Deus ut saccum solveret à lumbis suis, & calceum è pede suo*, quod etiam fecit *ambulavitque nudus & discalceatus.* Hoc vero signum esset Ægyptiis atque Cuschæis similis discalceationis, cum captivi abducerentur ab Assyriæ Rege: Ita enim explicat, & mysterium pandit ipse Jehovah. *Quemadmodum ambulavit servus meus Jesaias nudus & discalceatus tribus annis signum & portentum super Ægypto & Cuschæis, sic ducet Rex Assyriæ captivos Ægypti, & exules Cuschæorum pueros & senes, nudos & discalceatos.* Jam Abrahami ævo eum morem usitatum non absurde quis colligat ex ipsius dicto ad Regem Sodomæorum, quo negat *se ex omni præda acceptu-*
Gen. 14. 23. *rum vel filum vel corrigiam calcei vel aliquid quod ipsius erat.*

V. Ex hac veterum consuetudine exponunt viri eruditissimi obscurum quendam apud Ieremiam locum. Graviter populum increpat Propheta quod à Deo defecerint, à quo tam multis tamque variis beneficiis fuerant cumulati.
Ier. 2. 25. Tandem monitum subjungit מנעי רגלך

רגלך מיחף וגרונך מצמאה *Arce pedem tuum a discalceatione, & guttur tuum à siti.* Captivitatem putant à Propheta prædici docti interpretes, in quam nudipedes abducerentur. Sebastianus Castalio: *Cave ut committas ut tibi in captivitatem nudis pedibus procul eundum sit.* Magnus Coccejus: *Monet imminere deportationem, ut nudipedes & in siti deducantur in aliam terram.* Ego vero omnino non video hanc genuinam esse Prophetæ mentem. Persistere Prophetam in Metaphora cameli, & onagri fœminæ extra dubium est. Unde necesse est ut hoc monitum pariter sit metaphoricum à re simili desumptum, quo deterret Israelitas, & *eos avocat ab impudenti libidine*, prout ad hæc verba optime notarunt Belgæ interpretes. Quod confirmat responsio quæ subjungitur: *Sed dicis, desperatum est, Non: nam diligo alios & eos sequar.* Quasi dicant: frustra mones, & laterem lavas, id nunquam præstabimus, diligimus enim alios. Ut plane hoc sit monitum, non quo captivitas prædicitur, in quam nudis pedibus &

Castal. ad h. l.

Coccej. ad h. l. & in Lex. Hebr.

Belgæ ad h. l.

in siti procul eundum esset, aut quo adhortatur propheta ut sibi caveant, ne in talem incidant & tam miseram calamitatem, sed quo à fœda libidine hoc est Idololatria populum deterret.

VI. Hunc sensum miror non vidisse multos interpretes, qui abeunt in alia omnia, quorum sententias neque referre, neque examinare libet. Superiori libro, duorum commatum, quæ præcedunt, sensum dedimus, ut quidem opinor, verisimillimum. *Camelum juniorem* משרכת דרכיה *quæ circumit vias*, docuimus esse Camelum fœminam, quæ incipit catulire, & œstro libidinis percita huc illuc vagatur maris potiundi gratia. Scilicet Propheta qui cum meretrice comparaverat Iudaicam gentem, quæ in lupanari prostat & cuilibet se prosternit, quo magis appareat rei fœditas, eam comparat cum camelo juniore, quæ libidine flagrans marem quærit. Qua metaphora non contentus etiam onagrum vocat populum ad Idololatriam proclivem, quæ ubi eminus olfecit marem, à nemine inhiberi

lib. 1. cap. 6.

hiberi poteſt, quo minus ad eum currat, imo quæ neminem recuſat vel in ipſis menſtruis. In eadem metaphora pergit Propheta, atque ex Dei nomine monet, *prohibe pedem tuum à diſcalceatione, & guttur tuum à ſiti.* Scilicet Iſraelem avocat ab impudenti libidine, qua omnium gentium Idola colebant. Apud veteres uti matronæ & puellæ pudicæ non tantum velatæ erant, verum etiam pedes ſtola & calceos tegebant, ita quæ licentiam ſtupri vulgaverant, non cervice modo & humeris atque lacertis conſpicuis ac feminudis erant, prout Ovidius canit:

Ovid. de Arte Am. lib. 3.

Pars humeri tamen ima tui pars ſumma lacerti
Nuda ſit à læva conſpicienda manu.
Hoc vos præcipue niveæ decet: hoc ubi vidi,
Oſcula ferre humero qua patet uſque libet,

verum etiam pedes diſcalceatos & nudos oſtendebant, niſi forte quid vitii ſubeſſet, quo facit hoc ejuſdem monitum,

Pes malus in nivea semper celetur aluta,
Arida nec vinclis crura resolve tuis,

quo puellam, quæ amare & amari cupit, instruit ut pedem malum celet, ne ejus deformitas appareat, quam calcei qui à pede per tibiam protenduntur, ac crus medium obligant, tegunt, si nunquam resolvantur: itemque, quod apud Tertullianum leno meretricum *impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Cum enim, ut apud Horatium est,

Tertul. de Pallio cap. 3.

Matronæ præter faciem nil cernere possis,
Cætera, ni catia est, demissa veste tegentis,

contra meretricum cervix non solum nuda, & ima pars humeri, & summa lacerti in amatorum oculos incurrebat, verum etiam pedes nudi & discalceati. Ita mulier, omnibus simulacris emendatior, in lupanari describitur cervice & pedibus nudis apud Petronium: *Jam mentum*, inquit, *jam cervix*

cervix, jam manus, jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus, Parium marmor extinxerat. Eleganter Prudentius: Prud. lib. 2. in q. Symmach.

Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est,
Et Deus Omnipotens, non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioque revincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

Atque uti mulieres libidine percitæ pedes nudabant, ita & vinum amabant, quum scirent *sine Cerere & Libero Venerem frigere.* Habet enim vinum ad incitandam libidinem summas vires, ut vel Lothi ostendit exemplum, cui, seni admodum, vinum apposuerunt filiæ, ut hac ratione cum ipsis coiret, quo victus vir sanctissimus horrendum nefas commisit, usque adeo verum est quod vulgo dici solet: Genes. 19. 32, &c.

Nox & amor vinumque nihil moderabile suadent.

Hinc meretrices ut vini avidæ sæpe describuntur. Apud Terentium con-

conqueritur ſenex, in cujus domum Bachis erat introducta, *ſe releviſſe omnia dolia, omnes ſerias*, & tandem ſubjungit: *Pitiſſanda mihi quid vini abſumpſit.* Monuit hinc Propheta, *Prohibe pedem tuum à diſcalceatione, & guttur tuum à ſiti*, hoc eſt, ne amplius more meretricum nudos pedes tuos oſtende, & guttur tuum ne ſitiat vinum; quod lubidinem incitat. Hanc ſententiam verba ſequentia optime confirmant, quibus obſtinatus populus introducitur reſpondere: *Nihil eſt, non: nam diligo alios, & eos ſequar.* Quaſi dicat, hæc fruſtra mones, abſtinere enim nequeo, cum amaſios diligam, & eos ſequi velim. Hæc mea de hoc loco ſententia. Vir illuſtris Hugo Grotius etiam vidit ad compeſcendam libidinem hoc monitum pertinere, ſed non recte mihi videtur id expoſuiſſe. *Prohibe*, inquit, *pedem tuum à nuditate, i. e. ſi quis tibi dicat* (*id enim hic ſupplendum*) *Noli denudare partes muliebres. Eas enim Hebræi, ut & alii, honeſte pedum vocant nomine. Vide Gen.* 49. 10. *Et guttur tuum à ſiti*) *Nova tranſlatio in ipſa*

Grot. ad Ier. 2. 25.

com-

comparatione: nam sitim intelligit libidinem. Guttur quid sit intelliges ex Prov. 30. 16. 20. Pedes sæpe pro pudendis poni est verissimum. Sed cum verbum רגל proprie notet *discalceatum*, pes pro pudendo hic sumi nequit. Pariter huc non quadrat, quod de siti & gutture monet.

VII. Observatum quoque fuisse apud veteres Hebræos, ut qui mortuum lugerent incederent nudipedes, jam dudum, præter Flaccium Illyricum, complures viri eruditissimi ex loco apud Ezechielem insigni collegerunt, ubi Propheta à Numine jubetur contra morem in uxoris funere cuncta retinere lætitiæ signa. Verba Dei sunt: *Fili hominis, ecce ego eripiam tibi desiderium oculorum tuorum per plagam, tu tamen non planges, neque flebis, neque ullas lacrymas emittes, Clamare desiste, non facies luctum funebrem, tiaram tuam alliga tibi, & calceos tuos pone in pedibus tuis, & ne obnubas mystacem, & panem hominum ne comederis.* Fuerunt hæc omnia illis temporibus luctus indicia. Nam & plangebant, flebant,

Illyr. clavi Script. p. 1.

Ezech. 24. 16. 17.

bant, lessum faciebant funebrem, nudabant caput, vel obvolvebant, deponebant calceos, obnubebant mystacem, & panem comedebant ab aliis allatum. Hæc Prophetam vetat Deus. Quod Judæi cum tanquam insolens, & à vulgatis moribus alienum mirarentur, prædicit futurum, ut ipsi quoque, liberis gladio sublatis, idem facerent, quod ab ipso fieri videbant, nec ullum luctus ederent signum. Unde manifestum est in mortuorum luctu olim inter Hebræos eum morem fuisse, ut calceos exuerent, quod in lætitia secus fiebat.

Maim. in Ebel. c. 5. §. 1.

VIII. Meminit hujus ritus omnium Rabbinorum doctissimus Moses Ben Maimon, qui titulo peculiari, quem אבל *de luctu* inscripsit, omnia quæ ad luctum pertinent, egregie recenset: *Illæ sunt res*, inquit, *quæ lugenti prohibentur, die quidem primo ex sententia Legis, diebus autem reliquis ex traditione majorum, nimirum tonderi, lavare vestes, balneo corpus recreare, ungi oleo, cum uxore consuescere, calceos induere, facere negotium, le-*

gere

gere in libro legis, *ventilare lectum*, *nudare caput suum*, *salutare*. Quod vero inter lugentium ritus tanquam prohibitum recenseat, *induere calceos*, ex Ezechielis exemplo petit: *Unde*, inquit, *est*, *quod lugenti prohibita Sandaliorum assumptio? Eo quod Ezechieli dictum fuerit*, *calceum tuum appones pedi tuo: unde generatim cuivis prohibitos fuisse elicitur.* Scilicet ex eo quod contra morem Ezechieli Deus mandavit, ut nullum luctus signum edat, &, quod alias insolens, calceos induat, optime colligit doctissimus Maimonides, fieri solitum ut in luctu sandalia exuerentur. Hunc morem etiamnum observari apud Judæos ut in funeribus discalceari oporteat lugentes monuerunt viri ad miraculum in lingua & ritibus eorum eruditi Paulus Fagius & Johannes Buxtorfius, & post eos vir celeberrimus Martinus Gejerus, qui ex Minhagim Germanicis adduxit hæc præcepta. *Wenn das meth* (*verstorbne*) *noch nit zu* Kefura (*Grab*) *ist kommen*, *darf der* afel (*leidtragende*) *nicht die Schuh aus thun.* hoc est, *Quando mortuus nondum delatus*

Ibid. §. 6.

Fag. ad Deut. 14. 1. Buxt. Syn. Iud. c. 49. Gejer. de Luct. Hebr. c. 15.

delatus est ad sepulturam, non audet lugens calceos exuere. Postmodum inchoato semel luctu, *muss er die Schuh aufthun, und sol sein Weib stehen lassen*, hoc est *debet calceos exuere, & ab uxore abstinere.* Quibus similia leguntur in Massechet Semachoth: אין קורעין ואין חולצין וכו' עד שעה שימורו *Non lacerabunt vestes, nec calceos extrahent antequam obierit.* Quod observavit vir doctissimus, Johannes Braunius.

Massech. Sem. cap. 1.

Braun. de Vest. Sac. Hebr. pag. 61.

IX. Ex Suetonio qui in funebri Augusti pompa refert: *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibusque nudis, ac in Mausoleo condiderunt*, idem observatum fuisse à Romanis ut in funeribus nudis pedibus incederent, notavit vir elegantissimus Benedictus Balduinus. Paria habent alii, & nuperrime id monuit Johannes Braunius. Ego vero non video ex hoc loco posse colligi Romanorum hunc ritum fuisse, ut discalceati luctum funebremi testarentur. Nam quod legimus in pompa funebri Augusti factum, plane singulare est, & alias insolitum. Hæc enim reve-

Suet. in Aug. cap. 101.

Bald. de Calc. Ant. cap. 23. Braun. loc. cit.

rentiæ

rentiæ & ταπεινοφροσύνης, vel ut loquitur Tertullianus, ταπεινοφρονήσεως indicia fuerunt, atque hic honor Augusto est habitus, ut qui jam major homine, & inter Divos esset. Non mihi latet quid notaverit magnus Casaubonus: *Falluntur, quod peculiarem Augusto habitum hunc honorem censent, ut à discinctis reliquiæ ejus legerentur. Nam in aliorum quoque funeribus idem factitatum.* Tibullus, Casaub. ad Suet.

Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legent.

Imo vero in plerisque religionis superstitionisve ritibus obeundis calceos ponebant, quod prolixius docet. Mihi tamen neutiquam vir magnus persuadet eos falli, qui hunc peculiarem Augusto habitum honorem volunt, ut nudis pedibus ipsius ossa legerentur. Ego, uti id omnino singulare puto, ut primores equestris ordinis tunicati & discincti legerint reliquias, ita quoque contendo id peculiare fuisse, ut nudis pedibus hoc munus obirent.

rent. Neque video quorsum vir Magnus notet, *in plerisque religionis aut superstitionis ritibus obeundis calceos olim positos.* Utique hoc verissimum est. Sed quid illud ad funebrem luctum? Sane quæcumque vir magnus observavit minime ostendunt id in funeribus olim usitatum. Si hoc ex religione aut superstitione factum est, nempe quia Augustus divus habebatur, necesse est ut ritus fuerit omnino peculiaris in aliorum funeribus non observatus. Ego id etiam factum suspicor, ut pedibus nudis Augustum venerarentur, & hunc haberent honorem, prout in plerisque religionis aut superstitionis ritibus calceos ponebant. Sed tunc ritus fuit non observatus in aliorum funeribus. Tum si vel maxime nudis pedibus reliquiæ lectæ apud Romanos fuissent, alius hic ritus foret, quam quem veteres Hebræi usurparunt, atque etiamnum Judæi observant. Lugentium enim hic ritus fuit, ut discalceati & nudis pedibus luctus tempore sederent: *Qui principes funus deducunt*, verba sunt doctissimi Buxtorfii, *sive filii sint, si-*

Buxt. Syn. Iud. c. 49.

sive proximi agnati, domum reversi per septem dies humi nudis pedibus sedent. Qui ritus longe alius est, quam Romani observassent, si nudis pedibus reliquiæ fuissent lectæ. Hoc vero quod notavimus singulare fuisse in Augusti funere, ut nudis pedibus reliquiæ legerentur, etiam animadvertimus virum doctissimum Johannem Kirchmannum monuisse. *Quod autem* pedibus nudis *dicit, id* Suetoniuus nempe, *reverentiæ & πεπινοφροσύνης fuit indicium, nam in plerisque religionis & superstitionis ritibus obeundis calceos ponebant. Non igitur in reliquiis funebribus usurpatum.* Recte observavit diligentissimus, id ex religionis sive superstitionis ritu ortum, ut nudis pedibus legerentur Augusti reliquiæ, adeoque non in aliis reliquiis funebribus usurpatum fuisse. Quomodo inter tot habitus & mores lugentium qui vel lacrymis & fletu & planctu dolorem ostendebant, vel lacertos & pectora & genas & vultum lacerabant, vel Querelis Deos suos onerabant, quod ab illis aspectu charorum suorum essent privati, vel capillos evellebant, pul-

Kirch. de Fun. Rom. l. 3. c. 6.

pulvere ac cinere conſpurcabant, tondebant, radebant, & ſuper pectora mortuorum, vel tumulos, parentandi gratia imponebant, capita velabant, veſtem funebrem induebant, multaque alia habebant luctus indicia, nihil habet eruditiſſimus Kirchmannus de calceis in luctu depoſitis, qualem morem olim Hebræi & etiamnum Judæi obſervant.

Caput Sextum.

Lex apud Hebræos ſingularis, qua frater uxorem fratris ſine liberis mortui ducere jubebatur, ut ſemen fratri ſuſcitaret, Deut. 25. 5. 6. In qua mirandum, ut qui id recuſaret, à vidua conſpueretur, & calceus ipſi extraheretur. verſſ. 7. 8. 9. 10. Cur calceus in hoc ritu adhibitus? Balduini ratio examinatur. Pedibus aliquid calcare olim ſignum dominii & poteſtatis. Devictorum hoſtium cer-

cervices calcatæ. Calceus signum dominii. Calcei extractio signum cessionis de jure. Calceus in hoc ritu adhibitus in signum privari levirum omni jure quod in viduam habebat. Balduini circa hunc ritum lapsus. Error Thomæ Dempsteri & Cypriani.

I.

INter singularia veterum Hebræorum instituta, quæ ab aliarum gentium moribus fuerunt diversa, legem referre licet, qua voluit summum Numen, ut frater uxorem fratris sui sine liberis mortui matrimonio sibi jungeret, & semen fratri defuncto suscitaret. Verba legis sunt. *Si habitaverint fratres simul, & mortuus fuerit unus ex illis, & filius non fuerit ei, non nubet uxor defuncti extra, viro extraneo: Defuncti frater ingredietur ad illam, & sumet eam sibi uxorem, & præstabit officium leviri. Erit autem primogenitus quem pepererit, stabit nomine fra-* Deut. 25, 5. 6.

tris sui defuncti, ne deleatur nomen ejus ex Israele. Quod præcipit lex de officio leviri jam antea videtur obtinuisse, cum exemplum vetustius in historia Judæ occurrat, qui, Ere primogenito suo sine liberis defuncto, alteri filio Onan dixit, ut ingrederetur ad uxorem fratris sui, & illi semen excitaret, Consuetudinem legi respondisse illustre documentum *habemus* in nota illa historia, quam Christo objectam à Sadducæis legimus, de septem fratribus, qui unam eandemque duxerint uxorem. De hac lege & leviratus jure integer exstat Tractatus Talmudicus Jevamoth, & præter Maimonidem & Rabbinos alios, multa monuerunt viri magni Buxtorfius & Seldenus.

Gen. 38. 8. 9.

Matth. 22.

Buxt. Syn. Iud. c. 41. & de sponsal. Seld. uxor Hebr. l. 1. c. 12. &c.

II. Sed in hac lege illud omnino mirandum est, non potuisse à leviro hoc officium prætermitti sine quadam infamia, qua notabatur ad uxore defuncti fratris, quæ calceum ipsius exuebat, & conspuebat faciem. Nam cum fieri posset, ut leviro non placeret fratris defuncti conjux, & matrimonium illius recusaret, liberum quidem

dem ipsi ex lege erat eam vel ducere, vel renuntiare, sed tunc necesse erat ut hac infamia notaretur. Sic enim porro lex præcipit: *Si vero vir ille noluerit ducere uxorem fratris sui, ascendet uxor fratris ejus ad portam, dicetque senioribus, recusat levir meus suscitare fratri suo nomen in Israele, non vult mihi præstare officium leviri. Et advocabunt eum seniores urbis suæ, & loquentur cum eo: si perseveraverit, & dixerit, non placet mihi eam ducere: Accedet uxor fratris ejus ad eum in conspectu seniorum, & detrahet Calceamentum de pede ejus, spuensque in faciem ejus obtestabitur & dicet: Sic fiet viro, qui non ædificabit domum fratris sui. Et vocabitur nomen ejus in Israele: Domus ejus, cui exutus est calceus.* Scilicet lex vult, ut ille, qui negat fratris demortui uxorem ducere, ac semen defuncto exitare, dehonestaretur sputo in faciem ejus, vel, ut Rabbini בפניו accipiunt, *coram eo*, & calceus ipsi extraheretur à vidua defuncti. Deut. 25. 7.8.9.10.

III. De hoc ritu plura disputant Talmudici, & prolixe docent

Judæorum ritualia qua ratione debuerit peragi, distinctiones item habent subtiles de calceo qui adhibendus est. Sed ea hic non tangimus, tum quia occupata sunt à viris doctissimus Paulo Fagio, Johanne Buxtorfio, & inprimis Johanne Seldeno, tum quia sunt Rabbinica, hoc est, frivola & superstitiosa. Rationem ingeniosam cur calceus potissimum ad hanc cerimoniam fuerit adhibitus, dedit vir elegantissimus Benedictus Balduinus. *Quid aptius*, inquit, *significando matrimonio quam calceus? calceum plerumque pedi gravem & molestum esse nemo ignorat. Idem etiam sæpius in matrimonio contingere testari possunt, qui suo malo sunt experti. Scitum occurrit hac in re Senatoris Romani dictum, qui rogantibus amicis, cur uxorem præstanti forma insignem, & in qua nihil apparebat conjugio indignum, repudiaret, pede protenso calceum ostendens: Hic, inquit, pulcher est & elegans, nescitis tamen qua parte pedem meum premat. Unde qui calceum sibi detrahi volens patiebatur, is non inepte sic uxoris ducendæ curam abjicere se demon-*

Fagius ad Deut. 25. Buxt. Syn. Iud. c. 41. Seld. ux. Hebr. l. 1. cap. 24.

Bald. de Calc. Ant. cap. 24.

demonstrat. Sed hæc non est hujus cerimoniæ ratio. Nam qui calceum sibi detrahi patiebatur, non demonstrabat se uxoris ducendæ curam abjicere, sed sibi non placere demortui fratris conjugem. Ut hic ritus non eam ob causam adhiberetur, quia matrimonium recusabat, quod cum molestia & tædio sæpe est conjunctum, cui significando calceus est aptissimus, sed ut palam fieret viduam fratris posthac sui juris esse, & habere potestatem nubendi cuilibet, seque cedere omni jure quod vi legis in illam habebat.

IV. Mihi hæc visa est hujus ritus ratio. Pedibus calcare, symbolum olim fuit dominii & potestatis. Hinc Deus terræ Canaan possessionem promittens, *omnem locum*, inquit, *quam calcabit planta pedis vestri, dedi vobis.* Quomodo & de Calebo dixit: *dabo ipsi terram, quam calcavit.* Et olim Abrahamo mandavit, ut terram peram bularet in longitudine, & latitudine, quam ipsi daturus erat. *Celsa terræ calcare* apud Michæam est habere munimenta terræ in potestate.

Ios. 1. 3.

Deut. 1. 36.

Gen. 13. 17.

Mich. 1. 3.

ſtate. Quare Moſes cum Iſraelitico populo futurum prædiceret ut hoſtium munitas urbes redigeret in poteſtatem, ita cecinit:

Deut. 33. 29. *Beatus es tu, Iſrael: Quis ſimilis tibi? populus es ſervatus per Dominum, qui eſt clypeus auxilii tui, & gladius dignitatis tuæ. Subjicientur id circo tibi hoſtes tui, & tu illorum excelſa calcabis.* Hinc in ſubjectionis ſignum hoſtium cervices olim' ſunt calcatæ. Sic Joſua Regum Cananæorum cervices conculcandas dedit tribunis militum. Qualem triumphi ſpeciem, quamvis ſuperbam nimis & inhumanam, in Valerianum Imperatorem Romanum à Sapore Perſa, in Romanum Diogenem à Belpheco, & in Bajazethem à Tamarlane Schyta uſurpatam legimus, qui eos bello captos pedibus conculcrunt, & ſcabelli loco, equum aſcenſuri, adhibuerunt. Ex hoc ritu illuſtranda ſunt multa ſacri codicis loca: Qualis eſt ille: *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Et ille. *Conculcabis impios: erunt enim cinis ſub pedibus tuis:* & rurſus ille: *ſuper leonem & aſpidem calcabis, conculcabis*

Ioſ. 10. 24.

Trebel. in Valer.

Oroſ. lib. 7. cap. 22.

Fulgos Memor. l. 9. c. 5.

Egnat. de Imp. Rom. l. 2.

Pſ. 110. 1.

Mal. 4. 3.

Pſ. 91. 13.

calcabis leunculum & draconem. Et ille, in quo Christus, cum suis discipulis dominationem summam in Satanam se concessisse vellet significare, dixit: *En dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, atque super omnes vires adversarii.* Luc. 10. 19. Hinc factum puto ut calceus, qui incedentium & calcantium usibus inservit, signum fuerit dominii & potestatis, atque inde, ubi juris sive dominii cessio significanda foret, calceamenti solutio & extractio symbolicῶs usurpata sit, prout id olim ingeniose expressit, uti observavit Benedictus Balduinus, quisquis amoris effigiem pinxit, sinistra manu calceum gerentem, altera vero titulum hunc, IUS MEUM ALTERI TRADO. Bald. de Calc. Ant. cap. 24. Id ipsum videre est in veteri more, quo olim usi sunt Hebræi, cum quis jure suo cederet, & dominium alicujus rei in alium transferret, ut qui jus suum alteri tradebat, calceum extraheret, in signum atque testimonium se cedere jure calcandi fundum & possessionem, de qua antiquissima consuetudine plura dis-

putabimus sequenti capite. Pariter hinc factum conjicio, ut illi, qui nuptias uxoris fratris demortui recusabat, calceus à vidua extraheretur, in signum eum privari omni jure, quod in eam ex lege Dei habebat. In qua cerimonia hoc ad ignominiam pertinere puto, ut ipse non solveret atque exueret calceum, sed vidua fratris, cum in translatione dominii, ubi aberat omnis infamia, qui jus suum alteri tradebat, calceum suum ipse exueret.

Bald. loc. cit.

V. Circa hunc ritum lapsus est Benedictus Balduinus: *Qui fratris viduam*, inquit, *ducere recusabat, primum sui calcei corrigiam solvebat, quo nimirum ostenderet, se jure cedere calcandi fundum sive possessionem, quam cum vidua erat aditurus. Deinde mulier ultionis demortui gratia, calceum recusantis auferebat, ut sic eum infamem denotaret.* Ubi illud omnino falsum est fratrem ipsum *primum sui calcei corrigiam solvere*, cum vidua & solveret & extraheret calceum, illud vero perperam dictum, hoc ab eo factum, *ut ostenderet se jure cedere calcandi fundum*

dum quem cum vidua erat aditurus, cum ea cerimonia adhiberetur, ut palam fieret mulierem, quæ calceum extrahebat, posthac sui juris esse, & habere potestatem nubendi cuilibet, & levirum non jure calcandi fundum quem cum vidua aditurus erat cedere, sed omni jure privari quod in ipsam viduam habebat.

VI. Sed gravius peccavit Thomas Dempsterus. *Quod*, inquit, *consuetudinis Judæorum, apud quos, qui nuptias recusabant, nudis pedibus incedere cogebantur, puto, ut carentia prolis plecteretur, D. Cyprian. lib. 2. in Judæos.* Putat vir doctus eam Judæorum consuetudinem fuisse, ut qui nuptias recusarent, nudis pedibus incederent, idque ex Cypriano probat. Verba Cypriani, quæ innuere videtur, hæc sunt: *Erat enim in lege, ut quisquis nuptias recusaret, calceamentum deponeret, calcearetur vero ille, qui sponsus futurus esset.* Sed plane erravit. Cyprianus. Calceus in lege quidem extrahebatur à defuncti vidua, quam levir ducere recusabat, non vero omnes, qui nuptias recusa-

Dempst. ad Ros. pag. 439.

Cyprian in Iud. l. 2. cap. 18.

bant calceamenta deponebant, uti nec illud in Judæorum moribus fuit, ut calcearetur qui sponsus futurus erat, quod unde Cyprianus hauserit ego profecto nescio. Longè vero ineptiora sunt quæ Dempsterus notavit. Leviro quidem calceus extrahebatur, quando recusabat viduam ducere defuncti fratris, sed non illi qui nuptias recusabant nudis pedibus incedere cogebantur. Quin levir ipse non semper nudis pedibus incedebat. Nam & calceus dextri pedis tantum extrahebatur, & calceatus incedere postmodum potuit, quia id fiebat non nisi judicii tempore. Neque id factum est ut carentia prolis plecteretur, sed ut signum esset, eum privari omni jure quod ex lege Dei in viduam habebat. Ut hoc omnino Judæorum ingratiis dixerit Dempsterus.

Caput Septimum.

Apud Hebræos non nisi aliqua formula sive cerimonia adhibita fiebant contractus. Antiquissimus

mus ritus Ruth. 4. 7. Calceum exuere Rabbini tradunt fuisse formulam traditionis, sive acquirendi dominii. Josephus ad legem de leviratu refert. Non unum Josephi erratum detegitur. Mendum è Josephi codicibus sublatum. Etiam alii cum lege de calceo leviro extrahendo confundunt. Quorum sententia ex Abarbanele refutatur. Nihil in hoc ritu esse quod cum lege in Deuteronomio conveniat variis rationibus ostenditur. Hugonis Grotii argumentis fit satis. Calcei extractio cerimonia fuit in firmandis contractibus qua juris cessio significabatur. Objectio non contemmenda, qua ratione Rutha ducenda esset si non ex jure de leviratu hæc agerentur, solvitur. Ex redemptionis jure id fieri prolixe demonstratur. Dissensus interpretum quisnam calceum extraxerit, an vindex

an Boozus. Qui jure suo cedebat calceum exuisse, adeo que vindicem, multis adstruitur.

I.

APud Hebræos, cum alicujus rei dominium acquireretur, sive transferretur in aliũ, olim variæ cerimoniæ, sive formulæ fuerunt adhibitæ. Ex nudo verborum contractu nihil omnino transigebatur, solemne quiddam accedere necesse fuit, quod rem faceret ratam. Omnium enim contractuum, sive emptionum & venditionum, & cessionum de jure sive dominio alicujus rei, vim atque obligationem à formulis solemnibus pendere volebant, ut his prætermissis cuncta irrita & plane nihili essent. Præclare hoc docuit ex Talmudicorum scitis Johannes Seldenus, & varias observavit istiusmodi formulas, quæ in usu quondam fuerunt.

Seld. de I. N. & G. l. 6. c. 5.

II. Ab antiquissimis temporibus in redemptione & permutatione, cum quis cederet suo jure quod in rem aliquam habebat, hæc cerimonia

rimonia solemnis fuit, ut exueret calceum, & proximo suo daret. Meminit hujus ritus vetustissimi historia Ruthæ. *Obtinuit olim in Israel in redemptione & in permutatione, ut firmaretur negotium extrahebat homo calceum suum, & dabat proximo suo, eratque hoc testimonium in Israel: dixit igitur redemptor ad Boaz, posside tu pro me, & extraxit calceum. Et dixit Boaz ad seniores, & ad cunctum populum, testes vos estis hodie quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech &c.* Scilicet in redemptione & permutatione, ad firmandos contractus in usu fuit extractio calcei, ut hoc solemni ritu rei transactæ testimonium extaret, & cuncta rata haberentur, uti apud nos clavium traditio, pedis positio, & alia istiusmodi. Ruth. 4. 7.

III. Agnoscunt hunc ritum Judæorum magistri, & veterem quandam ac solemnem traditionis seu acquirendi dominii formulam fuisse volunt. Ita Abarbanel, qui prolixus est ut ostendat ad venditionem & jus redimendi vel retrahendi patrimonium venditum hanc ex- Abarb. in Deut. 25.

Midraſch. fol. 42. col. 2.

tractionem calcei pertinuiſſe. Paria legere eſt in Midraſch Ruth, ubi hæc de ſolemni, quæ inleverat, traditionis ſeu acquirendi dominii formula exponuntur. Quæ con-

R. Sal. Iarchi ad h. l.

firmat R. Salomon Jarchi, qui pro hoc ritu, jam abolito, in more eſſe dicit, ut contrahant per pannum, qui vulgo סודר, ſive *ſudarium* dicitur, unde *emptio ſudar*, quam *linteatam* non male voces, in jure Hebræorum. Ita enim notavit de calceo: זהו קניין כמו שאנו קונין בסודר במקום נעל *inde acquiſitio, quemadmodum & nos acquirimus* ſeu emimus *ſudario*, ſive linteo, *loco calcei.* Putat videlicet emptionem ſive acquiſitionem, quæ olim calceo fiebat, nunc בסודר ſive *ſudario* fieri. Quæ ſit קנין סודר *poſſeſſio ſudar*, id eſt, quæ per pannum vel linteum tactum ac comprehenſum emptori acquiritur, jam dudum ex Elia Levita docuit Druſius, & in mag-

Druſ. Quæſt. Hebr. l. 1. cap. 46. in Comm. in Ruth. Buxt. Lex. Talm. p. 1443.

no opere Johannes Buxtorfius, qui iſtius ritus, quo ætas poſterior in contractibus eſt uſa, in ſuo Thiſbi meminit. *Hodie apud nos moris eſt*, inquit, *cum emimus, vel contractum inimus cum aliquo, adhi-*

bere

bere solemus pannum quem sudar *vocant. Eum apprehendunt duo testes, in quorum præsentia exponuntur verba contractus. Quibus expositis, uterque testis explicat oram vestis suæ quam deinde prehendunt partes contrahentes, eo ipso testantes se ratum habituros, quidquid contractum fuit: Hoc vocatur hodie apud Judæos* קנין סודר *Emptio, acquisitio, possessio per sudar.*

IV. Sed in alia omnia Flavius Josephus abit, qui hanc historiam ex ea lege exponit, de qua superiori capite disputavimus, & extractionem calcei ad eum ritum refert, quo à vidua leviro calceus detrahendus erat. Verba præstantissimi scriptoris sunt. Κακεῖνος (Boaz scil.) ἤδη μεσούσης τῆς ἡμέρας ἀπελθὼν εἰς τὴν πόλιν, τὴν τε γερουσίαν συνῆγεν, καὶ μεταπεμψάμενος Ρούθην, ἐπειδή τ' συγγενὴς καὶ παραγενομένη φησὶν, Ἀβιμελέχου καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ κλήρων κρατεῖς; ὁμολογήσαντος δὲ συγχωρούντων τῶν νόμων καὶ τὴν δεχιτείαν; ἔκλυον, φησὶν ὁ Βόοζος, ἐξ ἡμισείας δεῖ μεμνῆσθαι τῶν νόμων, ἀλλὰ πάντα ποιεῖν κατ' αὐτοὺς μᾶλλον. ἐδὲ γὰρ δεῦρ' ἦκε γύ-

Ioseph. Ant. Iudæ. l. 5. c. 11.

γαιον.

ναιον, ὅπερ, εἰ θέλεις τῶν ἀγρῶν κρατεῖν, γαμεῖν σε δεῖ κ᾽ τὰς νόμους. ὁ δ᾽ Βόοζος ἠμὶ τὸ κλήρου κ᾽ τῆς γυναικὸς παραχωρεῖ, συγγενεῖ μὲν ὄντι κ᾽ αὐτῷ τῶν τετελευτηκότων. εἶναι δ᾽ κ᾽ γυναῖκα λέγων αὐτῷ κ᾽ παῖδας ἤδη. μαρτυράμενος οὖν ὁ Βόοζος τὴν γερουσίαν ἐκέλευσε τῇ γυναικὶ ἀπολῦσαι αὐτὸν πρόσελθόντα κ᾽ τὸν νόμον. ἠμὶ τύπτειν εἰς πρόσωπον, κ᾽ γενομένου τοῦτο, Βόοζος γαμεῖ τὴν Ρούθην. *Ille vero circa meridiem reversus in oppidum, senatum coire fecit: ac mox Rutham & propinquum illum accivit. Qui postquam venit, Abimelechi, inquit Boosus, & filiorum ejus sortem possides. Fassus est alter possidere se, idque secundum legem de jure propinquitatis. Tum Boozus, haudquaquam ex parte tantum legum meminisse oportet sed omnia juxta præscriptum earum facere. Ecce adest mulier, quam, si vis possessionem agrorum retinere, lex te ducere jubet. At ille Boozo & sortem & mulierem cessit, quandoquidem & ipse defunctorum esset cognatus. Sibi enim jam uxorem esse dicens, & liberos. Tunc Boozus contestatus senatum, jussit mulierem ad illum accedere, & juxta legem illi*

calceum detrahere, & in faciem incutere. Quo facto Boozus duxit Rutham.

V. Verum non unum erratum Josephi hic licet animadvertere. Fallitur enim cum refert Boozum ad τὸν δεῖνα, qui ipsi propinquior erat, dixisse: *Elimelechi & filiorum sortes possides tu*, τὸν δεῖνα vero hoc fassum esse, sed *indultu legum de propinquitate*, Boosum autem etiam ursisse alteram legis partem, qua cavebatur, si possessionem agrorum vellet retinere, Rutham esse ducendam, sed τὸν δεῖνα una cum agro mulierem cessisse. Id enim minime convenit cum ea narratione, quæ in Ruthæ historia legitur. Errat quoque cum addit mulierem solvisse calceum τῷ δεῖνα. Id enim omnino aliter se habet. Etenim ὁ δεῖνα calceum suum ipse exstraxit. Neque verisimile est ipsam Rutham adfuisse. Sane nulla Ruthæ fit mentio. Quin Naomi diserte præcipit ut quiesceret, ac totum negotium committeret Boozo. Ut colligere multo proclivius sit, Rutham fuisse absentem, ac calceum τῷ δεῖνα nequaquam exuisse.

exuisse. Gravius vero peccavit, cum mulierem refert jussam esse τύπτειν εἰς πρόσωπον, hoc est, *incutere in faciem*, ut habet versio recentior. Sed tam immanem errorem à Josepho legum patriarum non ignaro, commissum esse vix credo, cum eam legem alibi recte exhibeat: ὑπελύσατο δὲ αὐτὸν ἡ γυνὴ τῷ ἀδελφῷ τὰ σάνδαλα, καὶ πτύσαι εἰς τὸ πρόσωπον. Quare mihi visi sunt homines eruditissimi optime animadvertisse, corruptos esse hoc loco Josephi codices, & vel πτύσειν legendum, vel πτύειν, quorum prius Johanni Drusio, posterius Hugoni Grotio, & Johanni Seldeno placuit. Id quod Ruffinus, Josephi interpres vetustior, confirmat, qui vertit, *ut in faciem ejus exspueret*: qua ratione ostendit se vel πτύσειν, vel πτύειν, recte legisse. Hinc cum tam diversis circumstantiis historiam sacram expresserit Josephus, non mirum si erraverit circa illum ritum qui in ea legitur de calceo detracto, atque eundem voluerit esse cum ea cerimonia, quam in lege de leviratu præcepit Deus, cum plane fuerit diver-

Joseph. Ant. Iud. l. 4. c. 8.

Drus. Quæst. Hebr. l. 1. Quæst. 46. Grot. ad Ruth. 4 5. Seld. de Suc. in bona de funct. c. 15.

diversus. Cum enim hanc historiam referret, ac si hoc actum esset ex lege de leviratu, non potuit non meminisse illius ritus, qui in Deuteronomio imperatur. Sane si hoc contigisset ea ratione, qua à Josepho est proditum, jam etiam necesse esset ut idem fuerit ritus. Sed cum hoc non factum sit ex ea lege, utique diversus hic fuit ritus, quam qui in Deuteronomio legitur.

VI. Multi tamen, pariter ac Josephus, cum ea legè, quam de calceo leviro extrahendo, qui fratris viduam ducere recusabat, sanxit Deus, hunc ritum confuderunt, & inter eos homines eruditissimi qui ad novissimam Belgarum versionem notas adjecrunt, itemque vir illustris Hugo Grotius. Sed horum omnium sententiam optime refutavit Isaacus Abarbanel, cujus verba, quia magna argumenta continent, quæ demonstrant hæc neutiquam pendere ex lege de leviratu, atque aliam esse extractionem calcei, quam quæ à Deo imperatur, hic placet inserere, & quia prolixiora sunt, tantum Latinè

Belgæ ad Ruth. 4. 8.
Grotius ibid.

Abarb. in Deut. 25.

tinè. *Exſtimarunt quidam*, inquit, *hiſtoriam* (*nuptiarum*) *Boazi & Rutha quoque fuiſſe ex vi Juris leviratus, & detractionem calcei, quæ illic legitur, fuiſſe illam ipſam* חליצה *Exutionem calcei, de qua Lex in hac lege præcipit: adeoque hinc etiam docuerunt, filium primogenitum, quem pareret fratria, non vocatum fuiſſe nomine defuncti, ſicut nimirum filium, quem Rutha peperit Boozo, non vocatus fuit Macklon, ſed Oded. Sed hæc revera ſententia pernicioſa eſt & erronea. Nam Macklon non fuit frater Boazi, ut obligatus fuiſſet ducere fratris ſui defuncti uxorem. Et quamvis ad Seniores, qui in porta erant,* Ruth. 4.3. *dixerit:* Partem agri, quæ erat fratri noſtro Elimelecho, vendidit Naomi, quæ reverſa eſt è regione Moab; *non alia de cauſa vocat eum fratrem, niſi quia fuit de familia ipſius, non vero quod frater ejus germanus & verus fuerit. Nam* Ruth. 2.1. *ſcriptura dicit diſerte:* Et Naomi habebat מודע cognatum ex marito, virum fortem & ſtrenuum, de familia Elimelechi, & nomen ejus erat Boaz. *Quin & ipſamet dicit:* Propinquus noſter eſt vir ille, de

Vs. 20.

cog-

cognatis noſtris eſt, *non vero dicit, quod frater Elimelechi, multo minus Machlonis, fuerit. Et licet fuiſſet frater Elimelechi, ſicut dicit ſupra; tamen non obligatus fuiſſet ducere Rutham, uxorem Machlonis, filii Elimelechi. Quin & detractio illa calcei, non eſt detractio illa, cujus lex in hoc loco Deuteronomii meminit. Nam Ruth non venit ad Seniores in portam, ad exuendum calceum de pede vindicis, aut leviri: Hoc autem ipſa facere omnino incubuiſſet, & dicere;* Non vult leviratus jure ducere me, & inſpuere in faciem ipſius, ac dicere, ſic fiet viro, &c. *eorum vero nihil commemoratur in hiſtoria Boazi. Inſuper, vera extat traditio, ſi duo fratres fuerint defuncto, & primogenitus illorum noluerit uxorem viduam ducere, minor natu non potuerit id facere. Itaque ſi vindex ille, cujus meminit Boaz, fuit vindex propinquior, de jure non potuit Boaz leviri jus præſtare, quia non ita propinquus fuit. Hæc omnia docent, nullum hic fuiſſe leviratus jus vel officium.*

VII. Quæ hic diſputat Iſaak Abarbanel ſane ſunt præclara ad deſtruendam eorum opinionem, qui

qui hæc agi putant ex lege quæ in Deuteronomio legitur. Machlonem non fuisse fratrem Boazi optime observavit. Nam Boazum non fuisse fratrem defuncti Machlonis res ipsa docet, & τον ἄνδρα non fuisse Machlonis fratrem minime opus est ut probemus. Quare neuter ex lege de jure leviratus Rutham ducere tenebatur. Qua ratione ergo quis putabit, hæc ex lege agi, quæ in Deuteronomio legitur, cum neque ὁ ἀνὴρ neque Boazus fuerint defuncti fratres? Non mihi latet virum illustrem Hugonem Grotium notasse, *autore consuetudine hanc legem à fratribus productam esse ad propinquos alios, idque se ad eum locum dicere.* Sed ad locũ in Deuteronomio nihil aliud habet vir illustris, *quam morem idem produxisse ad alios propinquos, ubi fratres non extabant*, & citat in testimonium hunc ipsum Ruthæ locum, addens: *Hoc* גאל *dici* ἐγχισεύειν, *non* יבם ἐπιγαμβρεύειν. Atque hoc ipsum est quod probandum erat viro illustri an ea consuetudo etiam ad propinquos abierit. Sane legem hanc de ducenda uxo-

Grot. ad Ruth. 4. 5.

re,

re, ac sobole defuncto fratri excitanda, etiam ad cæteros agnatos aut gentiles productam fuisse, quo argumento adstruet, cum ubi lex ea à Mose sancitur fratres tantum nominentur & intelligantur? Cum etiam frater tum istic, tum alibi, proprio vocabulo vocetur יבם, & גאל notet redemptorem, unde constabit de agnato dici גאל de fratre יבם? Conjecturam enim viri illustris nullo testimonio vidi probatam.

VII. Sed & illud verissime Abarbanel animadvertit detractionem hanc calcei non esse detractionem illam cujus lex in Deuteronomio meminit, cum Rutha ipsa non venerit in portam, aut exuerit calceum, aut inspuerit in faciem. Rogat quidem vir illustris Hugo Grotius: *Excalceatio nonne hic plane ut in Deuteronomio?* Sed miror unde viro illustri hoc venerit in mentem, cum omnia sint diversissima. In Deuteronomio vidua defuncti jubetur leviro, qui nuptias recusabat, calceum exuere. Hic ipse ὁ δεῖνα calceum exuit: Quin Rutham non exuisse calceum τῷ δεῖνα vel ex eo manifestum est, quod

quod in eo judicio, ut supra monuimus, non adfuisse videatur. Ut plane alius sit ritus quam qui in Deuteronomio legitur. Nam qui recusabat demortui fratris uxorem ducere, id non testabatur exuendo calceo. sed ipsa mulier hac ignominia levirum afficiebat, ut ipsi detraheret calceamentum. In Deuteronomio inspuere in faciem lex viduam jubet. *At hic nulla ignominia affectus legitur ὁ δεῖνα*, quia tamen Deus præceperat levirum affici, cui calceus extrahebatur, si recusaret defuncto fratri suscitare nomen. Quare cum hoc necesse fuerit, si ex lege in Deuteronomio lata hæc agerentur, & omnino non factum sit, longe alium ritum debemus agnoscere. Fingere enim, quod nonnullis placet, constitutum fuisse ut mitius in hoc negotio cum agnato ageretur, quam cum fratre, quia jure naturæ & vinculo ac necessitudine sanguinis frater magis fratri obligatus est ad præstanda officia, quam agnatus agnato, plane frivolum est, & nullo idoneo authore nititur.

IX. His addimus, nihil *in tota* histo-

historia narrari de leviratu. Non enim de fratre, qui ducit vel respuit defuncti fratris uxorem, agitur, sed de propinquo, cui jus aut officium erat redimendi hæreditatem. Manifeste id innuit narrationis series, quæ non agit de renuntiatione personæ, sed de acquisitione rei. Calcei quæ memoratur solutio, alia longe ratione refertur, quam ut pertineat ad illam legem. Nihil aliud enim innuitur, quam ritum fuisse solemnem, qui ab antiquis temporibus inoleverat, quo utebantur veluti formula cessionis de jure, & traditionis aut acquirendi dominii. Quid aliud hæc verba indicant? *Obtinuit olim in Israel, in redemptione & in permutatione, ut firmaretur negotium: extrahebat homo calceum suum, & dabat proximo suo, eratque hoc testimonium in Israel.* Post quæ statim sequitur: *dixit igitur redemptor ad Boaz, posside tu, & extraxit calceum.* Etenim hæc verba satis ostendunt non ad cerimoniam in Deuteronomio imperatam hanc calcei extractionem referendam esse, sed ad veterem quandam & solemnem tra-

ditionis seu acquirendi dominii formulam. Clarissime enim docent in jure גאלה de redemptione in usu fuisse ritum calcei exuendi, sicut in omni rerum permutatione, qua quod sui juris & dominii fuerat in alium tranferebat, calceum exuit. Unde quoque multi viri eruditissimi animadverterunt, de eo ritu, qui in Deuteronomio legitur, hic Ruthæ historiam *nihil* meminisse, & detractionem *calcei* spectasse ad solemnia contractus, & fuisse symbolicam, qua alteri dominium cedebatur, & jus dabatur adeundæ possessionis: quasi quis dicat, trado tibi calceum, quo hactenus jus habui calcandi agrum & possessionem, quod nunc tibi cedo, ut tu eundem possis calcare. Præter Alphonsum Tostatum Episcopum Abulensem, Nicolaum Serarium, Jacobum Bonfrerium, Tirinum, Johannem Piscatorem & complures alios, qui commentariis vel Pentateuchum vel Ruthæ libellum illustrarunt, sunt in ea sententia viri longe doctissimi Drusius & Seldenus. Innuit id ipsum Johannes Buxtorfius, qui cum de emp-

Tost. in Deut. 25. Serar. Bonfr. Tirin. Piscat. in Ruth. Drus. in Ruth. & Quæst. Hebr. l. 1 Qu. 46. Seld. de Succes. cap. 15 de Iure N. & G. l. 6. cap 5. Fuxt. Lex. Talmu.

emptione per ſudarium monuiſſet ſubjungit. *Olim fiebat id calcei extracti & traditi cerimonia, ut teſtatur hiſtoria Ruth.* Neque aliud in animo habuit Chaldæus interpres, qui pro calceo *chirothecam* ſubſtituit. טלע גבר נרחק יד ימיניה ושושט ביד קנין לחבריה *exuebat homo chirothecam manus ſuæ dextræ, & emptionis cauſa proximo porrigebat.* Et paulo poſt: אושיט יד לקנינא וקני לך וטלע בועז יה נרחק ימיניה וקני לידה *Extende manum tuam emptionis cauſa, & eme tibi. Et exuit Boaz chirothecam dexteræ ſuæ, & emit ſibi.* Sane cum Paraphraſtes hic habeat *chirothecam*, manifeſtum eſt eum in animo habuiſſe, non hic agi de ea cerimonia quæ in Deuteronomio legitur, ſed de alia, quæ in emptione & permutatione locum habebat, pro qua, cum ſuo tempore jam inoleviſſet, aliam ſubſtituit, quæ in uſu fuiſſe videtur.

X. His vero opponi poteſt, quod ſane non contemnendum eſt, ſi hæc non agerentur ex lege de leviratu, neutiquam intelligi poſſe qua ratione Rutha fuerit ducenda. Etenim in redemptione non neceſ-

se erat, ut גאל, qui agrum sive possessionem redimebat, viduam duceret, si quæ esset. At hic Boozus diserte dicit: *Quo die redemeris*
Ruth. 4. 5. *agrum illum è manu Naomi, etiam à Rutha Moabitide uxore ipsius defuncti redemeris, ad suscitandum nomen defuncti super hæreditatem ejus.* Quod non necesse erat ex jure redemptionis, ut quidem ex illo jure, quod leviro præscripsit Deus. Unde rogat vir illustris Hugo Grotius: *At quæ igitur connexio, si agrum habere vis debes & viduam habere?* Sed observandum est jus redemptionis apud veteres Hebræos eo usque extensum fuisse, ut qui succederet in omne jus defuncti, etiam viduam in potestatem acciperet ut fieret uxor, & Boazum ex hoc jure stipulatum esse, ut quo die redemptor acquisivisset agrum è manu Naomi, etiam à Rutha Moabitide uxore defuncti eum acquireret, ut nomen defuncti super hæreditatem suscitaret. Quod, quia non recte animadvertisse videntur homines eruditissimi, hic ostendendum est.

XI. De redemptione possessionum

num lex in Levitico legitur. Ex ea lege proximus agnatus tenebatur redimere eas possessiones, quas frater, qui ad paupertatem redactus erat, vendidisset. Ex vi legis ad nihil aliud quidem obstrictus erat, quam ut redimeret fratris possessionem. Id vero ex interpretatione eo usque extensum apud Hebræos veteres fuit, ut qui redimeret possessionem defuncti, eo ipso viduam acciperet in potestatem, ut fieret ipsius uxor. Nam, uti ex hoc jure quis in demortui possessionem universam succedebat, ut omnia quæ defuncti fuerant fierent ipsius, ita & viduam accipiebat in potestatem. Id enim caviſſe videntur Hebræi veteres, ut cum à propinquo redimeretur alicujus demortui hæreditas, etiam vidua duceretur in uxorem, ne illa neglecta maneret & desolata. Uxorem demortui ex redemptionis jure illius fieri qui illud admittebat & accipiebat, indicare videtur ea stipulatio, quam adhibuit Boozus. *Quo die redemeris agrum illum è manu Naomi, etiam à Rutha Moabitide uxore ipsius de* Lev. 25. 25. &c.

mortui redemeris, ad excitandum nomen ipsius demortui super hæreditat ejus. Ut hoc dicat Boozus: illo ipso momento, quo ex redemptionis jure agrum à Naomi alienatum vindicaturum constitueris, etiam ex eodem illo jure tibi asserueris omnia illa quæ à Rutha Moabitide proficisci possunt, ut ea in potestatem tuam veniat, eamque ducas in uxorem. *In hunc* sensum hæc verba jam dudum interpretatus est vir doctissimus Cornelius Bertramus. Ut omnino non fuerit ex ea lege, quæ in Deuteronomio legitur, quod eam stipulationem adhibuerit Boozus, sed ex jure redemptionis, quod ita interpretati sunt veteres Hebræi, ut una cum hæreditate uxor demortui in potestatem veniret redemptoris & ipsius fieret uxor. Hoc ipsum etiam Rutha innuere videtur, quę ad Boozum dixit: *Expande pallium tuum super famulam tuam, tu enim es redemptor:* Quasi dicat: sub tutelam tuam me ut maritus suscipe, quoniam tu es redemptor, sive proximus agnatus. Petit scilicet his verbis honeste, ut se uxorem

Bertram. Lucubr. Franktal. cap. 6.

Ruth. 3. 9.

rem ducat: Sensus enim est: duc me ancillam tuam in matrimonium, quia tu es, qui jure redemptionis me in potestatem tuam debes accipere. Cautum fuisse, ut in eadem familia, uti possessiones debebant manere, matrimonia contraherentur, notissimum est. Hinc, uti redimendi jus proximo agnato erat, viduam illi ducendam voluerunt, ut restitueretur in familia mariti defuncti nomen, quod morte ipsius, cum prolem masculam nullam relinqueret, extinctum erat. Huc optime retulit R. Salomon Iarchi, qui notavit hæc ex lege dici quæ in Levitico legitur: *Et veniat redemptor ejus, qui propinquus ei & redimat.* וחמותי ואני צריכות למכור נחלתינו ועתה עלין לקנות קנה גם אותה עמדה שיזכר שם המת על נחלתו כשאבא על השדה יאמרו זו' אשת מחלון *Nam socrui meæ & mihi necesse est, ut vendamus hæreditatem nostram. Et nunc cum acquiras, acquire etiam me cum ea, ut in memoria habeatur nomen defuncti propter hæreditatem ejus, ut, cum veniam in agrum, dicant, hæc uxor Machlonis.* Sane si jus redemptionis

Sal. Iarchi ad Ruth. 3. 9.

non eo usque fuisset extensum, nimis impudens fuisset Ruthæ postulatum, neque Boozus eam laudasset, quod neminem alium fuerit secuta, sed illis, quibus debebatur ex jure redemptionis, se obtulerit, ut nomen defuncti in ipsa familia restitueretur. Hæc confirmat totius historiæ series, quæ ostendit ex jure redemptionis cuncta peragi. Ut frustra sint homines eruditissimi, qui ex lege de leviratu exponant. Quis enim non videt longe verisimilius de eo ritu sive cerimonia hic agi, quæ olim adhibebatur in redemptione aut permutatione rerum, qua quis, in signum se cedere suo jure, calceum extrahebat, quam de ea calcei detractione, quæ locum habebat, cum levir viduam fratris sui ducere recusabat.

XII. Sed hic non levis controversia est inter viros doctissimos, an ipse Boozus extraxerit suum calceum & dederit τῷ δεῖνα, an vero ὁ δεῖνα calceum exuerit, & dederit Boozo. Alii enim sacri textus verba, *exuit calceum suum*, referunt ad Boozum, alii ad τὸν δεῖνα. Chaldæus Paraphrastes

phraſtes de Boozo intellexit. ושלף בועז ירהו נחק יד ימיניהו וקני לירה *Et exuit Boaz chirothecam dextræ ſuæ, & emit ſibi.* Pariter Aben Ezra cenſet Boozum exuiſſe calceum ſuum, & dediſſe propinquo tanquam pro hæreditate. Sed Vulgatus interpres eo ſenſu accepit, ac ſi propinquus extraxerit calceum, & dederit Boozo. Ita enim vertit: *dixit ergo propinquo Boaz, tolle calceamentum tuum: Quod ſtatim ſolvit de pede ſuo.* Quod ipſum placuit Græcis interpretibus. Etiam, non tantum juris interpretes, verum ipſi Hebraicæ literaturæ facile principes, hac in re ſunt dubii. Cenſuit olim Johannes Druſius verbum *exuit* referendum ad Boozum. *Conſtat enim*, inquit, *hunc morem ſervatum fuiſſe olim etiam in commutationibus, cujus rei teſtis ille ipſe locus. Porro ut ſit commutatio, neceſſe eſt, ut qui aliquid accipit, idem aliquid det. Hoc veteres declarabant verbo Halaph, quo uſi ſunt in hac re. Dabatur autem calceus dicis cauſa, ſive pro forma, ut ita loquar.* At in commentariis in Ruthæ hiſtoriam, quæ poſtea

Druſ. Quæſt. Hebr. l. 1. Quæſt. 46.

ſtea conſcripſit, aliter ipſi viſum fuit. *Quanquam incertum*, inquit, *quo hæc pertineant, tamen quia ſequitur, & dixit Boaz, videtur non abſurde poſſe referri ad vindicem, qui calceum ſuum exuerit ac dederit Boozo. Sed fuit tempus cum exiſtimarem hæc referenda potius ad Boozum.* Johannes Seldenus, qui hanc controverſiam paucis attingit, etiam nihil definit.

Seld. de I. N. & G. l. 6. c. 5.

XIII. Licet vero non adeo facile ſit tantas componere lites, puto tamen detractionem calcei ad vindicem referendam, cum ſignum fuerit, eum cedere ſuo jure, quod habebat in poſſeſſionem quæ redimenda erat. Calceum fuiſſe ſignum dominii & *juris*, quod quis in rem aliquam habebat, atque inde natam eam conſuetudinem, ut, ubi juris ſive dominii ceſſio ſignificanda eſſet, calceus extraheretur, ſuperius docuimus. Unde neceſſe eſt, eum, qui jure ſuo cedebat, & dominium in alium transferebat, calceum exuiſſe, uti illi, qui recuſabat nuptias viduæ fratris ſui, calceus extrahebatur in ſignum & teſtimonium eum privari omni jure,

Cap. præced.

jure, quod in defuncti fratris viduam ex lege Dei habebat. Quare hoc non ad Boozum sed ad vindicem referendum arbitror, qui, ex consuetudine in redemptionibus & permutationibus usitata, calceum suum exuit, ut constaret se omne suum jus in Boozum transferre. Hoc vero, quod contendimus, eum qui jure suo cedebat calceum exuisse, confirmare videntur hæc verba: *Obtinuit olim in Israel in redemptione & in permutatione ut firmaretur negotium, extrahebat homo calceum suum, & dabat proximo suo, eratque hoc testimonium in Israel.* Optime mihi notasse videntur Belgæ interpretes, per proximum eum intelligendum esse: *Dien hy sijn recht overdroegh, en daar mede van het selve in toekomende tijden versteken was:* hoc est, *in quem jus suum transferebat, quo hac ratione sequentibus temporibus erat privatus*, & per ea verba, *eratque hoc testimonium in Israel*, illud denotari: *Dat imant het recht van eenigh landt of erfgoet, als sijn eygen te betreden ende te besitten, aan een anderen overdroegh:* hoc est, *aliquem jus alicujus agri aut hæreditatis,* Belgæ ad Ruth. 4. 7.

tis, tanquam propriam calcandi & possidendi in alium tranferre. Sane innuere videtur consuetudinis ratio, ut, qui jure suo cederet, & alicujus rei dominium in alium transferret, calceum exueret, in testimonium atque signum, se imposterum privatum esse omni potestate, quam in rem illam habebat. Quare necesse est non ipsum Boozum calceum suum exuisse, sed vindicem, qui suum redimendi jus Boozo cedebat. Id etiam indicare videntur sacri texus verba: *Et dixit redemptor ille ad Boozum: redime tu meo loco, & extraxit calceum.* Videtur enim verisimilius hoc ita capiendum esse, ut vindex, cum Boozo dixisset, ut suo loco redimeret, etiam in signum se cedere suo jure, quod ad redimendum habebat, calceum extraxerit. Ea ratione si hæc facta intelligamus, optime respondebunt verba sequentia. *Et dixit Boozus senioribus, & omni populo: vos estis hodie testes, me redemisse omnia quæ Elimelechi fuerunt, & omnia quæ Machlonis & Chilzonis fuerunt, à manu Naomi.* Scilicet Boozus, cum extractum cal-

calceum à vindice accepiſſet, qua cerimonia in ipſum tranſlatum erat jus redimendi, teſtes vocavit ſeniores populi, & omnes qui aderant præſentes, ſe redimere quæ cumque fuerant Elimelechi. Boazi nomen quod hic occurrit, oſtendere videtur ad eum non pertinere verba præcedentia, quæ de calcei extractione loquuntur. Nam ſi Boozus calceum ſuum extraxiſſet, ita concipienda fuiſſe ſacra verba videntur. *Et extraxit Boaz calceum ſuum, & dixit ſenioribus.* Nunc cum ea verba, *& extraxit calceum ſuum*, cum ſermone conjungantur, quem ad Boozum vindex habuit, colligere proclivius eſt ad vindicem pertinere calcei extractionem. Ut comma octavum referat, quid Boozo dixerit vindex, quid item fecerit, comma vero nonum narret, quid factum ſit à Boozo, qui, cum extractum calceum accepiſſet, ſeniores teſtes vocavit ſe cuncta redimere quæ Elimelechi fuerunt. Hunc ſenſum expreſſerunt LXX. Interpretes, qui, evitandæ ambiguitatis cauſa quæ in codice Hebræo eſt, ea ſuppleruntP 7

runt quæ omnem tollunt dubitationem. Καὶ τοῦτο τὸ δικαίωμα ἐμαρτύρετο ἐν τῷ Ἰσραὴλ ἐπὶ τὴν ἀγχιστείαν, καὶ ἐπὶ τὸ ἀντάλλαγμα, τοῦ στῆσαι πάντα λόγον. Καὶ ὑπελύετο ἀνὴρ τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ, καὶ ἐδίδου τῷ πλησίον αὐτοῦ τῷ ἀγχιστεύοντι τὴν ἀγχιστείαν αὐτοῦ, καὶ τοῦτο τὸ μαρτύριον ἐν Ἰσραήλ. Καὶ εἶπεν ὁ ἀγχιστεὺς τῷ βοόζ. Κτῆσαι σεαυτῷ τὴν ἀγχιστείαν μου. Καὶ ὑπελύσατο τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ.

Caput Octavum.

De loco Pſ. 60. 10. & 108. 10. *variæ interpretum ſententiæ. Molleri & Junii expoſitio. Calceo cædere, vel calceum in os projicere quam contumelioſum? Ad id tamen non alluſit David. Vatabli, Balduini, & aliorum explicatio. Omnium error. Balduini ex Tremellio expoſitio. Calceum in aliquem jacere fidei ſervandæ ſignum apud Arabes. Hiſtoria inſignis. Chirothecam*

thecam in urbem obsessam jacere signum pertinacis propositi de urbe capienda. Qui mos tamen tam antiquus non videtur, & huc non quadrat. Buceri & Arnoldi Botii sententia. Confutata. Hugonis Grotii, Johannis Cocceji, & aliorum explicatio. Thomæ Gatakeri opinio. Servorum ministerium calceos portare. Locus Matth. 3. 11. illustratus. Gatakeri opinio probata. Calceos extergere vilissimorum servorum ministerium. Unde pro sordidissimis quibusque officiis usurpatur. Hoc scite intellexit David.

I.

CUm victoriam, quam de Syris atque Edomeis reportaverat; quos cum vicinis gentibus redegerat in potestatem, celebraret David, & subjectos ditioni suæ populos, ac quam late paterent imperii fines recenseret, de Edomo dixit על אדום אשלך נעלי *super Edom pro-* Ps. 60. 10. & 108. 10.

projiciam calceum meum. Quæ verba varie torserunt eruditos interpretes. Ex ritu prisco eruendum esse hujus loci sensum agnoscunt, sed in eo assignando in varia sunt atque multiplici differentia. Quare præcipuas primum & magis probabiles exponemus sententias, quibus diligenter excussis, nostram subjiciemus.

II. *Calceos in aliquem projicere*, sunt qui putant idem esse quod contumeliose tractare, & alludi ad morem veterum, quo contemptus atque ludibrii & contumeliæ res habebatur, vel calceo cædere, vel soleam alicui impingere. Ut, *super Edom projiciam calceamentum meum*, sit, Edomæos habiturus sum contumeliose, vel calceum in os eorum vel caput impingendo. Ita Henricus Mollerus, qui superiori seculo accuratum dedit in Psalmos commentarium: *Idumæos non subjiciam tantum, sed etiam cum contumelia quadam ipsorum miserias aliis ostentabo, ut cum quis alicui superbe insultans, calceum inter feriendum in eum projicit: significans se hunc non tantum contemnere, sed etiam ludi-*

Moller. in Psal.

brio

brio habere. Neque multum abit Franciscus Junius, qui inter optimos scripturæ interpretes suo merito est censendus, dum *projiciam calceum meum*, idem esse vult quod *audaciter conculcabo.* Iun. ad h. l.

III. Illud certissimum est, solea sive calceo aliquem cædere, olim contemptus atque contumeliæ rem fuisse habitam, quod varia scriptorum veterum loca ostendunt, quæ eruditi homines jam collegerunt. Videri possunt quæ observavit Anglus doctissimus Thomas Gatakerus. Pariter certum est longe fuisse contumeliosius si inter cædendum quis alicui suum calceum in faciem projiceret. Quod docere potest puellæ cujusdam pauperculæ facinus, quæ parva adhuc & parentibus orba, cum annonam à Rege suo in fame petiisset, ille vero eam objurgasset calceo, & in faciem projecisset, probrum ferre non potuit, sed sui suspendio voluit expiare, uti ex Plutarcho retulit doctissimus Gatakerus. Ad hunc tamen morem alludi à Davide, aut de contumelia & contemptu, quo Idumæos affecturus erat Gatak. Cinno lib. 2. c. 19. Plut. in Græcis c. quæst. 124 Gatak. loc. cit.

erat, ejus verba capienda minime puto. Populos ditioni suæ subjectos recenset. *Distribuo*, inquit, *Sichem, & vallem Succoth metior; Mea est Gileaditis, meus Manasse, & Ephraim arx capitis mea. Judah legislator meus. Moab pollubrum meum, super Edomum projicio calceum meum: super me, ô Palæstina, jubila.* Quasi dicat; totus Israel me Regem agnoscit & mihi paret: Moabitæ quoque & Edomæi bello subacti serviunt mihi. Ut de populis subjugatis quidem triumphet David, illos vilissimum præstare ministerium, sed de contumelia & ludibrio, quo habiturus erat devictas gentes, nihil dicat.

Vatab. ad Ps. 60.

IV. Franciscus Vatablus, vir Hebraicè doctissimus, *projiciam calceamentum meum*, putat esse *Phrasin Hebraicam pro immittere pedem; q. d. calcabo Edom tanquam mihi subjectam.*

Bald. de Calc. Ant. pag. 242.

Consentit vir elegantissimus Benedictus Balduinus, qui, cum notasset *calceamento dominium sive jus aliquod in rem aliquam denotari*, inde dictum putat: *In Edom extendam calceamentum meum*, h. e. *eam mihi subjiciam.*

Belgæ ad Ps. 60.

Non multum discrepant Belgæ inter-

terpretes: *Ik salfe onderbrengen, besitten, erven, en als onder mijn voeten leggen, vergel. Ruth. 4. op vers 7.* h. e. *subjugabo, possidebo, hæreditario jure acquiram, & quasi pedibus subjiciam, confer Ruth. 4. 7.* Idem fere volunt doctissimi Rabbini David Kimchi & Aben Ezra, qui *in Edom projiciam calceum meum* explicant: *conculcabit eos pes meus, eruntque instar scabelli pedum meorum.* Hoc ipsum innuit Chaldæus paraphrastes, qui habet: *Super junctu-ram cervicis strenuorum ejus calceum meum injiciam.* In eandem mentem Brentius: *Super Edom proferam calceamentum meum: Subjectionis*, inquit, *est descriptio: proferre enim calceamentum est proferre imperium, & subjicere sibi terram, quam pedibus tuis calcaveris.*

Kimchi & Aben Ezra ad Ps. 60.

Brentius ad h. l.

V. Hæc virorum doctissimorum opinio haudquaquam est absurda. Pedibus calcare aliquam regionem aut terram signum usitatum possessionis & dominii fuisse, quin hostium cervices in subjectionis signum olim calcatas, ipsi superius prolixe observavimus. Multa tamen sunt quæ me non sinunt in

lib. 2. cap. 6.

eorum

eorum ſententia plane acquieſcere. *Projicere calceum*, pro *immittere pedem*, phraſi Hebraica dici notat Vatablus, id vero non puto eum cuiquam facile perſuaſurum. Nam nimis dura foret hæc loquendi ratio, pro *immittere pedem* in terram aliquam vel regionem, dicere calceum projicere in aliquam terram, ut denotetur, calcabo eam terram tanquam mihi ſubjectam. *In Edom extendam calceamentum meum*, h. e. ſubjiciam, exponit quidem Benedictus Balduinus, quomodo & Brentius, *proferre calceamentum* voluit eſſe *proferre imperium*, & *ſubjicere ſibi terram, quam pedibus calcaveris.* Sed verbum שלח *extendere* vel *proferre* non notat. Habent quidem Græci: ἐπὶ τὴν Ἰδουμαίαν ἐκτενῶ τὸ ὑποδήμα μου: & eos ſecutus Vulgatus, *in Edom extendam calceamentum meum:* ſed Hebræum vocabulum *mittere*, *projicere*, non *extendere* notat. Tum *extendere*, vel *proferre calceamentum*, quid ſit, omnino non capio. Qui terram aliquam calcat, & cum calceis incedit, viam quidem conficit, ſed an ideo dici poſsit *extendere*, vel

vel *proferre calceamentum*, in signum subjectionis, & extendendi fines imperii, non intelligo. Neque etiam *calceum projicere*, est *subjugare, & vel pedibus subjicere, & hæreditario jure possidere*, uti notarunt Belgæ interpretes. Quos miror conferendum notasse locum, qui in historia Ruthæ legitur. Nam, cum ipsi observaverint, *extrahere calceum* signum fuisse cessionis de jure, omnino contrarius hinc eliciendus esset sensus in Davidis dicto. Neque enim David indicaret, *subjugabo, & hæreditario jure possidebo Edomum, & pedibus meis subjiciam*, sed cedam omni jure & dominio, quod in Edomæos habeo, uti is qui extrahebat calceum & proximo dabat, eo ipso ostendebat, se cedere omni jure sive dominio calcandi fundum & possessionem, atque in alium conferre, uti hæc est verissima sententia de antiquissima cerimonia, quæ in Ruthæ historia legitur, uti superiori capite prolixe ostendimus. Rabbini celebres David Kimchi & Aben Ezra mihi quoque non placent. Nam *in Edom projiciam calceum meum*,

meum, aliud quid est, quam *Edomum conculcabit pes meus*, nempe uti cervices hostium devictorum calcantur, quod Chaldæus innuit. Ad tam figuratam loquendi rationem confugere non est opus.

Bald. de Calc. Ant. p. 244. &c.

VI. Doctissimus Balduinus etiam alium refert veterum morem, ex quo sensum hujus dicti exponit. Postquam observasset apud Arabes calceum sibi detractum in alium jacere, servandæ fidei *signum* & pignus esse certissimum, atque ei rei firmandæ adduxisset exemplum, quod, referente clarissimo Lipsio, Lusitanicæ narrant historiæ, de Raho quodam Benxamutio, viro inter Arabum duces insigni, qui cum in Marochiensi agro castra & de more familiam haberet, irruentibus Lusitanorum copiis, cum se imparem videret, dolens mœstusque primum uxorem patiebatur abduci, mox vero, cum ab ea indignabunda illi ignavia & perfidia exprobraretur, acrioribus incitatus stimulis, statim, ut de more gentis erat, calceum sibi detractum in illam jecit, & simul equites, quos ad septuaginta rap-

Lips. in Monitis & exemplis polit. c. 17.

tim

tim collegerat, animose cohortatus, tanto impetu in Lusitanos irruit, ut hi tandem, amisso duce, dissipataque acie, cæsi plerique aut capti fuerint, Rahus vero uxorem receperit, addit: *Et certe, non inepta uxoris recipiendæ propositi, per calceum in eam conjectum, significatio; cum, ut observavit Rabbi Immanuel* in Psalmos, *ubi Reges olim urbem aliquam obsidebant, in eam projicere chirothecam solerent, signum, se statuisse obsidionem non solvere, donec urbe potirentur. Nam quod hic per chirothecam factum ait, alii per calceamentum malunt, eoque Psalmistam spectasse volunt, ubi cecinit.* In Idumæam extendam calceamentum meum. *Ac si dicat, in Idumæam belli signum conjiciam, cui finem dare non est propositum, nisi prius eam in potestatem meam redegero. Cui interpretationi favet ea versio, quæ ubi communis subjungit:* Mihi alienigenæ amici facti sunt, *habet*, subditi sunt. *Unde etiam de subjiciendis alienigenis hoc loco agi, doctiores historici sensus interpretes arbitrantur.*

VII. Verum & illa, quæ observa-

servavit elegantissimus Balduinus, se mihi non probant. An mos iste obtinuerit apud Hebræos veteres, ut Reges, cum urbem aliquam obsiderent, calceum in eam projicerent, in signum pertinacis propositi non solvendæ obsidionis, priusquam urbs sit redacta in potestatem, omnino non liquet. De chirotheca quoque non memini me quicquã legisse. Neque tam vetustis temporibus hæc consuetudo mihi videtur observata. Tum si vel maxime olim viguisset, non tamen ex ea exponendum videretur hoc Davidis dictum. Etenim de proposito sibi subjiciendi universam Idumæam haudquaquam loquitur, sed de Idumæa jam devicta triumphat.

Gatak. loc. cit.

VIII. Doctissimus Gatakerus postquam recitasset Martini Buceri opinionem, qui sic παραφράζει: *Edom erit ut locus, in quem abjiciam calceamentum meum*, etiam refert viri eruditissimi Arnoldi Botii sententiam, quam de hoc loco per epistolam scisciranti sibi aperuit: *Quia pedes loturi homines, calceos cæno aut pulvere infectos non in medio pavi-*

pavimento deſtituere, ſed in obſcuriorem aliquem ac ſordidiorem angulum conjicere ſolent, ideo Edomitas itidem ſibi ſpretos, cum loco ejuſmodi vili comparavit, ſicuti contra Ieſ. 22. 24. vir honoratus atque amplæ dignitatis, paxillo fixo in loco ſelectiore, atque è quo pretioſa quæque ſuſpenduntur, confertur.

IX. Eſt illud verum, quod ad confirmandam hanc ſententiam notavit Gatakerus, calceos, pulvere conſperſos, vel luto contaminatos, & veteres quam maxime jam attritos, in locum ſordidiſſimum quemvis temere abjici, juxta illud Luciani: Τὰ καινὰ τῶν ὑποδημάτων ἐν τιμῇ τινι καὶ ἐπιμελείᾳ ἐστίν. ἐπειδὰν δὲ παντελῶς πολλάκις, καὶ ὑπὸ τοῦ πηλοῦ ἀγαπηλαθῇ, ὑπὸ τὴν κλίνην ῥίπτεται. *Calcei, novi dum ſunt, in æſtimatione curaque ſunt aliqua, at ubi ſæpius calcati lutoque deformati fuerint, ſub lectum alicubi projiciuntur.* Lucian. de Merc. Conductis.

Sed David hic loqui videtur de vilibus miniſteriis, quæ ipſi præſtare Moabitæ & Idumæi bello devicti tenentur. Nam cum Moabum dicit *eſſe ſuum pollubrum*, non id dicit, ſe non pluris æſti-

mare Moabum, quam in domo opulenta æstimari solet podoniptron, uti putavit eruditissimus Botius, sed Moabum vel pollubri vicem sibi præstare. Pariter, cum de Edomo dicit, *se in eum calceum projecturum*, non id dicit, se Edomum habere tanquam vilem aliquem locum, in quem calcei sordidi & veteres conjiciuntur, sed Edomum se habere tanquam servum, cujus opera in curandis calceis esset occupata.

Grot. ad Matth. 3. ℣s 11.

X. Alia est viri illustris Hugonis Grotii sententia, David, inquit, *Idumæo ait se objecturum solleas, nimirum ut exutas auferat. Hoc est enim quod* βαστάσω τὰ ὑποδήμα *Matthæus dixit. Quod idem ministerium denotat* τὸ λῦσαι τὸ ὑποδήμα, *Act.* 13. 25. *Sive* τὸ ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων *Marc.* 1. 7. *Luc.* 3. 16. & *Ioh.* 1. 27. *ministerium scilicet servis vilissimis mandari solitum.* Pariter notavit vir illustris ad verba Davidis: *Idumæo extendam calceum meum, nempe ut eum mihi detrahat, ut viles servuli solent.* Ex eodem more hæc verba exposuit doctissimus interpres Johannes Coccejus:

Grot. ad Ps. 60. 10.

Coccej. ad Ps. 60. 10.

jus: *In Edomum conjicio calcæos meos. h. e. Sic mihi serviunt, ut mediastini, in quos conjicio calceos, ut eos excipiant & auferant. Sic Iohannes Baptista fatetur se indignum, qui calceos domini asportet, h. e. mediastini officium illi exhibeat.* Quam sententiam tum alii probarunt, tum nuperrime vir eruditissimus Johannes Braunius. Sed Thomas Gatakerus mavult ulterius abjectiusque quiddam ea formula insinuari, nimirum, quemadmodum infimæ prorsus sortis servi calceos pulvere conspersos, sive luto conspurcatos emundabant & extergebant, Davidem dicere, se ad hoc, cæteroquin omnium vilissimum abjectissimumque ministerium, Idumæorum opera abusurum, ut eos quasi pro *peniculo* habeat, quo calcei sui extergeantur.

Braun. de Vest. Sacerd. Hebr. pag. 59. Gatak. loc. cit.

XI. Ad servilem aliquem morem Davidem alluisse ego dubito nullus. Cecinit enim hunc Psalmum, ut inscriptio docet, cum Joabus imperator exercitus Edumæorum octodecim millia cecidisset, post quam pugnam plane sunt

domiti, neque tantum in Davidis potestatem, sed servitutem etiam redacti, uti narrat historia, quæ in libris Samuelis legitur. *Et locavit præsidia in Edom, in tota Edomæa præsidia locavit, & omnes Edumæi facti sunt Davidis servi.* Servos olim hoc ministerio functos non apud Hebræos tantum verum etiam Græcos atque Romanos, ut dominorum gestarent sandalia, res est notissima. Unde Plautus servos appellavit *sandaligerulos*, si vera est Jani Douzæ, viri nobilissimi, qui tamen plus ingenio quam natalibus debet, emendatio, qua pro *salutigerulos, pueros*, legit *sandaligerulos*, hoc est, servos qui sandalia gestant, sicuti ancillas vocavit Plautus *sandaligerulas*, quæ sandalia dominarum servabant & gerebant. Ex quo veterum more videri possent viri eruditissimi optime explicasse hæc Davidis verba *super Edom projiciam calceum meum*, quasi dicat tanquam vilibus servis calceos projiciam Edomæis, ut eos gestent, quod servorum est ministerium. Prout ex hac consuetudine expo-

2. Sam. 8. 14.

Plaut. in Aulul. Act. 3. sc. 5.

Trinumno Act. 2. sc. 1.

suerunt

fuerunt Johannis Baptistæ dictum, qui, dum se Christo comparat, dicit: οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὸ ὑποδήμα βαστάσαι *Cujus non sum dignus ut calceos portem.* Nam, ut recte observarunt, idem est quod λῦσαι τὸ ὑποδήμα, vel λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων, *solvere calceos*, vel *solvere corrigiam calceamentorum*, (cum, qui calceos portabant, iidem solverent; & qui calceos solvebant, iidem exutos auferrent, & curarent) & ministerium notat vilissimum servis demandari solitum. Sed cum præcesserit *Moab est lavacrum meum*, optime puto judicasse doctissimum Gatakerum Davidem dixisse, *super Edom projiciam calceum meum*, nempe ut Edumæi abstergant pulverem atque lutum, & sint pro periculo quo calcei extergeantur. Ita enim scite admodum dicit Moabum pro lavacro & pelvi se habere, in quo pedes suos proluat, Edomum vero pro periculo futurum sibi, ut pote cui calceos extergendos sit projecturus. Apud veteres nihil vilius fuit habitum, quam calceamenta luto conspurcata extergere.

Matth. 3. ℣s 11.

re. Itaque viliſſimis ſervis ea cura mandabatur. In ſervis enim hic ordo erat, ut alii eſſent lautiores, alii inferiore loco. Videri poſſunt quæ obſervata ſunt Laurentio Pignorio in erudito commentario quem de ſervis dedit. Non niſi viliſſimis vero mandabatur calceos purgare. Hinc ſicuti calceos ſolvere pro vili miniſterio uſurpatur, quomodo Tibullus, cum vellet dicere ad omnia officia, etiam abjectiſſima, pauperem fore præſto, cecinit:

Vinclaque de niveo detrahet ipſe pede,

calceos extergere pro viliſſimo miniſterio veteres dixerunt. Apud Ariſtophanem ſenex ille Philocleon, cum oſtendere vellet vel Theorum, hominem magni nominis, ad ſordidiſſima quæque ſibi præſtanda paratum eſſe, dixit:

Ariſtoph. Veſp.

Ἀλλὰ Θέωρος, κἢ τοι ἐὼν ἀνὴρ Εὐφημίου
οὐδὲν ἐλάττων,
Τὸν σπόγγον ἔχων ἐκ τῆς λεκάνης τἀμβάδι' ἡμῶν περιχωνεῖ.

Vel ipſe Theorus, licet vir ſit Euphemio nihil minor, ſpongiam habens ex pelvi

pelvi crepidas nobis exterget. Ita David dixit, *Edomo projicio calceos meos*, nempe abstergendos, ut notet Edomæos ad tantam servitutem redactos, ut obirent hoc vilissimum & sordidissimum calceos detergendi munus, & essent tanquam *peniculus qui extergentur baxeæ*, ut Plauti verbis utar.

CAPUT NONUM.

Hebrææ genti cum in Arabiæ desertis obambularet de victu & vestitu prospexit Deus. Deut. 8. 4. & Neh 9. 21 בצק est intumescere. Singulare Dei beneficium Deut. 29. 5. qui non passus est vestes & calceos per quadraginta annos deficere. Communis sententia calceos quibus ex Ægypto discesserant Judæi per tot annos integros servatos. Ab ea dissensum. An vestes cum pueris & infantibus creverint? Futilis Judæorum sententia refellitur. Deus non

facit miracula sine necessitate. Viri docti opinio probatur, qui hoc beneficium situm putat in admirabili Dei providentia qua de calceis Hebræis prospexit, ut ubi veteres defeciſſent haberent novos. Mosis verba in hanc sententiam exposita. Locus Jes. 48. 22. explicatus. Varia divinæ providentiæ circa vestes & calceos documenta.

I.

GEns Hebræa, quam à dura, qua Pharaonis tyrannide pressa fuerat, servitute liberavit Deus, postquam plurima in Ægypto miracula patrasset, singularem gratiam & favorem Numinis experta fuit per quadraginta annos, quibus eam per deserta Arabiæ circumduxit. Nam in deserto omnium egeno & inculto, tam quæ ad victum quam ad vestitum erant necessaria prospexit. Cum fame laborarent, Manna de Cœlo pluit. Cum siti premerentur, vel ex ipsa petra jussit aquam pro-

prosilire. Cum carnes appeterent, magnam vim coturnicum in castra immisit. Circa vestes quoque singularis cura & providentia fuit. Prædicat hæc beneficia Moses, atque eadem non uno loco commemorat ingrato populo. *Dedit tibi*, inquit, *in cibum Manna, quam ignorabas tu & patres tui, ut ostenderet tibi, quod non solo pane vivit homo, sed omni illo quod egreditur ex ore Domini. Vestimentum tuum neque vetustate tibi defecit, neque pes tuus intumuit, his quadraginta annis.* Deut. 8. 3. 4. Repetuntur hæc apud Nehemiam in illa solemni populi confessione, qua Dei beneficia patribus præstita prolixe recensentur. *Manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti. Quadraginta annis pavisti eos in deserto, & nihil illis defuit. Vestimenta eorum non sunt vetustate consumpta, neque pedes eorum intumuerunt.* Neh. 9. 20. 21.

II. Si multos sequimur interpretes, Hebræa verba quæ in Deuteronomio leguntur רגלך לא בצקה *pes tuus non intumuit*, itemque quæ apud Nehemiam sunt רגליהם לא בצקו *pedes eorum non in-*

tumuerunt, verti debent *pes tuus non fuit diſcalceatus*, vel *pedes eorum non fuerunt diſcalceati.* In editione Romana L x x. Interpretum duplex legitur horum verborum verſio. Τὰ ὑποδήματά σου ὐ κατετρίβη, οἱ πόδες σου ὐκ ἐτυλώθησαν. In editione vero Veneta hæc verba non leguntur τὰ ὑποδήματά σου ὐ κατετρίβη. Et ſane alterutrum eſt gloſſema. Apud Nehemiam tantum habent: καὶ ὑποδήμῳ αὐτῶν ὐ διερράγησαν. Jonathan quoque παραφράζει: *Pedes eorum non fuerunt diſcalceati*, & Onkelos: *calcei eorum non fuerunt diſcalceati.* Rabbi David Kimchi interpretatur *pes tuus non fuit diſcalceatus abſque calceo*, & originem verbi Hebræi à בצק *conſperſio*, aut *maſſa* deducit, quaſi eam ob rationem hic uſurpetur, quia conſumpto calceo conſpergitur pes luto. Notavit pariter vir illuſtris Hugo Grotius: לא בצקה *non conſperſus fuit pes tuus*, i. *non fuit diſcalceatus.* Quomodo & apud Nehemiam de calceis interpretatus eſt vir Hebraice Doctiſſimus Franciſcus Vatablus. *More ſcilicet*, inquit, *conſperſionis ſive*

Kimchi in lib. Rad.

Grot. ad Deut. 8. 4.

Vatab. ad Neh. 9. 21.

sive pastæ fermentatæ. Vel, non fuerunt inquinati, contaminati, fœdati, *Sub.* luto, *ut inquinari solent digiti ejus qui farinam subigit*, *q. d.* impastati, *h. e. calcei eorum non fuerunt pertusi, attriti, aut vetustate consumpti.* His alii consentiunt.

III. Tot interpretibus licet visum fuerit τὸ בצק *discalceatum* significare, non paucioribus tamen placuit, ut *intumescere* notet. Ita præter complures vernaculos interpretes & Belgas nostros, exposuerunt præstantissimi lexicographi, & qui inter illos eminent Buxtorfius & Coccejus. Inter Judæorum magistros doctor non incelebris Abraham Aben Ezra notavit, *moris esse ut pes viatoris, qui viam ivit, infletur & intumescat, Deum autem dedisse illis vires, aut duxisse leniter.* Moses Bar Nachman Gerundensis בצק exponit, *intumuit ut farina aqua macerata & subacta*, & vult hic dici, *tumorem aut inflammationem in pede ipsorum non fuisse.* Horum quidem sententia mihi præ altera probatur. Etenim hæc vox proprie notare videtur massæ ele-

Buxt. & Cocc. in Lex. Hebr. R. בצק

vationem quæ à fermento est. Ut hic notet tumores, quos nostra vernacula *blaren*, *bleinen*, vocamus. Sane est ab hac voce בצק *massa*, qualis nempe fermento intumuit. Sic inter alia beneficia commemorat Moses *pedes eorum non intumuisse*, quod longis & asperis itineribus fieri consuevit.

IV. Unde vero tot interpretes ad hanc sententiam sint delapsi, ut ea verba רגלך לא בצקה vertenda putarint *pes tuus non fuit discalceatus*, minime obscurum est. Moses enim in eodem Deuteronomio ad ipsos calceos Dei beneficium extendit: *Duxit*, inquit, *vos quadraginta annos per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra,* שלמתיכם לא בלתה מעל רגלך *nec calceamenta vetustate consumpta sunt à pedibus vestris.* Putarunt videlicet etiam in altero loco Mosen dixisse *pedes non fuisse discalceatos*, cum hic commemoret *calceos non fuisse consumptos vetustate.* Sed duplex beneficium fuit, quod in illam gentem contulit Deus, qui non tantum pedes à tumoribus servavit illæsos, verum etiam calceos non passus est de esse,

Deut. 29. 5.

ut

ut per viam asperam & difficilem in Arabiæ desertis tuto possent incedere.

V. Hæc verba nequaquam recte intellexisse videntur Judæorum magistri, & Christiani quamplurimi. In hunc sensum enim interpretantur, ac si narrarent hanc singularem Dei curam atque providentiam fuisse, ut ea ipsa vestimenta, quibus induti fuerant cum ex Ægypto discederent veteres Hebræi, non passus sit deteri, & ipsos calceos, licet arduum atque difficile iter per quadraginta annos conficerent, servaverit illæsos. Scilicet in eo miraculum hoc collocant, ut, cum calcei longo itinere atterantur, quod legati Gibeonitarum argumentum habent maximum, quo persuadeant se ex longinqua regione venire rerum gestarum fama exciti, Deus Israelitarum calceos servaverit integros. Jam olim Tertullianus: *Cujus etiam cura & providentia Israelitarum non sivit nec vestes consumi, nec vilissima in pedibus calceamenta deteri, sed nec ipsorum postremo adolescentium captiva sarabara comburi.* Quæ

Ios. 9. 13.

Tertul. in lib. de Trinit.

quidem hoc tempore vulgata est opinio, ipsos calceos, quibus induti fuerant veteres Hebræi cum ex Ægypto egrederentur, à Deo conservatos, ut annorum quadraginta spatio manserint incorrupti. Ipsum Samuelem Bochartum, virum summæ eruditionis, qui in omni doctrinæ genere primas tenet, jam superius vidimus observasse, *Deum Judæis, longum, asperum & senticosum iter jam ingressuris, de calceis prospici voluisse, &, ut religio quoque eos ad rei tam necessariæ curam adigeret, sanciisse, ut non nisi calceati Pascha manducarent, neque passum esse calceos, quos ad hoc solemne festum sibi comparaverant, per annos quadraginta deteri.*

Bochart. Hieros. p. 1. pag. 600.

VI. Ego vero, ut ingenue fatear, in hac vulgata opinione nunquam potui acquiescere. Ad hoc enim miraculum non illud tantum concurrere necesse fuit, ut Deus virtutem incorruptam calceis inderet, quod quidem à Deo, cui πάντα δύναται, non difficulter potuit præstari, verum etiam, cum in magno illo Israelitarum numero & parvuli fuerint & matura non-

dum

dum ætate adoleſcentes, ut latentis incrementi facultatem daret, & calcei, quos primum induiſſent & pueri & adoleſcentes cum ex Ægypto virtute Numinis educerentur, illis creſcentibus, etiam creſcerent. Id enim aliter fieri non potuit, niſi puerorum & adoleſcentium calcei cum ipſis pedibus creviſſent. Non mihi latet, quid vir illuſtris Hugo Grotius notarit: *Non tantum non attrita fuiſſe, ſed & cum ſtatura creviſſe veſtimenta, tradunt Hebræi.* Id quidem verum eſt tradere Hebræos cum ipſis pueris & adoleſcentibus veſtimenta & calceos creviſſe, uti Midraſch in hæc verba Cantici: *Odor veſtium tuarum ſicut odor Libani*, pluribus agit de Iſraelitarum veſtibus in deſerto, & ad eam quæſtionem an pueris & adoleſcentibus veſtes quoque ſimul creverint, ita reſpondet: צא ולמד מן החלזון שכל זמן שהוא גדל נרחקו גדל עמו *Egredere, & diſce à chilzon*, h. e. cochlea, *quod quamdiu creſcit, etiam theca ejus creſcit cum eo*, quaſi eadem ratione una cum pueris & adoleſcentibus veſtes creviſſent, quemadmodum cum cochleis conchæ

Grot. ad Deut. 8. 4.

Midraſ. in Cant. 4. 11.

conchæ crescunt, quod quidem non tantum in terrestribus videmus, verum etiam in marinis, & in cochlea purpurarea maxime, quarum incrementum singulis annis per orbes patet, ita ut, cum sex aut septem annos vivat, tot orbes habeat quot annos agit, uti referunt Aristoteles & Plinius. Sed quis non videt hoc Rabbinorum esse somnium, qualia multa fingunt nugaces magistri, de quo Horatius diceret

Arist. Hist. Animal. l. 5. c. 15. Plin. lib. 9. cap. 36.

—— *Credat hoc Judæus Apella,*
Non ego. ——

Quis quæso sibi persuadebit, nisi vim faciat suo ingenio, cum pueris & adolescentibus vestes & calceos creviſſe, uti cum cochleis conchæ? A vetulis hæc narrari possunt pueris ut eos trahant in admirationem, à viris merito exsibilantur. Profecto neminem reperiri arbitror hominem non putidum, qui hæc non damnet modo, sed commenti tam inepti auctores tanquam fatuos & nullius judicii homines irrideat. Ut mirer virum illustrem Hugonem Grotium *has*

futiles

futiles nænias suis Annotationibus inseruisse. Sed id factum arbitror, non quod vir ille, vere magnus, fidem adhibuerit huic magistrorum figmento, verum ut appareret se hoc non ignorare. Præsertim cum dissentiant ex ipsis Judæorum magistris, qui paulo saniores sunt, quam ut ipsis placeant talia deliramenta. Aben Ezra certe, qui sæpe à vulgatis verporum opinionibus discedit, & aliquando plus veri vidit quam cæteri suæ gentis magistelli, censet Judæos ex Ægypto multas vestes, multosque calceos secum tulisse, ita ut nunquam iis defecerint. Cujus sententia, licet non omnino mihi possit probari, cum non sit verisimile tam multos calceos secum ex Ægypto tulisse Judæos ut per quadraginta annos, quibus erraverunt in Arabiæ desertis, nunquam deficerent, tamen ostendit Rabbinum illum celebrem neutiquam abreptum communi gentis opinione fuisse, quæ vult non tantum calceis inditam virtutem incorruptam ut non deterentur, verum etiam ipsos una cum pedibus infantum & puerorum

Aben Ezra ad Deut. 8. 4.

&

& adoleſcentum creviſſe uti cum cochleis conchæ.

VII. Eſt præterea hoc certiſſimum, nunquam, niſi cum ſumma id exigeret neceſsitas, à Deo patrata miracula fuiſſe. Cum Manna de cælo plueret, aut aqua ex petra proſiliret, fame fere conficiebantur Hebræi, & ſiti premebantur intolerabili, nihilque erat in vaſtis illis Arabiæ deſertis quo famem compeſcerent, & ſitim ſedarent, niſi ipſe Deus cibum & potum extra conſuetas naturæ leges præberet. Talis neceſsitas nunquam fuit, ut vel de veſtimentis vel de calceis tam inſigni miraculo Hebræis proſpiceret ſupremum Numen. Nam oſtendemus, ut opinor, clariſsime, aliis rationibus hoc potuiſſe præſtari, ut non neceſſe fuerit vel vim incorruptam calceis indere, vel creſcendi facultatem, ut cum pedibus infantum creſcerent, uti cum cochleis conchæ. Tum illud quoque obſervandum eſt in ſumma fame & ſiti, Deum famem & ſitim non ſedaſſe nullo cibo & potu, vel cibo, quem mittebat de cælo, & potu, quem

quem præbebat petra, eam indidisse virtutem, ut in posterum neque esurirent, neque sitirent, quale propemodum miraculum in Elia deprehendimus, qui virtute cibi & potus per quadraginta dies iter confecit, sed panem singulis diebus misisse, & aquam ex petra ipsos sequi jussisse. Quis ergo credet vim incorruptam calceis fuisse inditam, aut crescendi facultatem, ut iisdem calceamentis quibus induti fuerant in Ægypto per quadraginta annos in Arabiæ desertis errarent, cum Deus ne quidem hac in re naturam rerum mutaverit, ut sine cibo & potu vitam ducerent, aut virtute cibi per aliquot dies saltem vagarentur, quod Eliæ contigit. Quare de vulgata hac opinione semper dubitavi, & aliter sacram historiam censui interpretandam. 1. Reg. 19, 8.

VIII. Memini me, cum hæc animo volverem, sermonem aliquando habuisse cum magno doctore meo Johanne Georgio Grævio, qui affirmabat sibi videri virum doctum verum vidisse, qui hoc beneficium, quod Moses com-

commemorat, situm fuisse putat in admirabili illa Dei providentia, qua Israelitas quadraginta annos per deserta inculta & horrida & omnium egena duxit, ut nunquam tamen ipsis aut vestes aut calcei defecerint, aut materia defuerit, qua potuerint & vestiri & calceari. Ut hæc verba nequaquam indicent vim incorruptam calceis inditam, aut una cum infantum & puerorum pedibus eos crevisse, sed nunquam defuisse vel calceos vel materiam unde calceamenta consuerentur. Placebat mihi eo tempore hæc opinio, nunc vero, ubi omnia perpendi paulo diligentius, plane in ea acquiesco, cum evidenter possit demonstrari verba Mosis nihil aliud indicare, & ostendi qua ratione de novis calceis iis prospexerit supremum Numen.

IX. Verba Mosis non esse intelligenda quasi easdem semper vestes gestassent Judæi, & iisdem semper calceis usi fuissent qui vetustate non essent consumpti per quadraginta annos, sed nihil ne in vestibus quidem & calceis per quadraginta

ginta annos ipsis defuisse, quia non sivit Deus ut indigerent alio vestimento & calceatu quod substituerent vetustate detrito, ostendere potest hic apud Jesaiam locus. Verba Prophetæ sunt, ולא צמאו בחרבות הוליכם *Et non sitierunt cum ipsos per desertum duceret.* Sitiisse Judæos cum in deserto errarent quis nescit? Massa & Meriba & alia loca testimonium sunt evidentissimum. Vel ad ipsas gentes hujus rei memoria dimanavit. Notissima est fabula Judæos asinum coluisse, quam tot prodiderunt scriptores veteres, quorum testimonia collegit vir summus Samuel Bochartus. Hujus vero cultus tam alieni nullam aliam causam adferunt, quam quod asinus monstraverit aquæ fontem. Ita expresse Tacitus. *Nihil æque (Judæos* in deserto) *quam inopia aquæ fatigabat. Iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium è pastu in rupem nemore opacam concessit. Sequutus Moses conjectura herbidi soli largas aquarum venas aperit.* Et paulo post: *Effigiem animalis, quo monstrante,*

Isc. 48.22.

Bochart. Hier. p. 1. l. 2. c. 18.

Tac. Hist. lib. 5.

ſtrante, errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacravere. Quare ſitiverint neceſſe eſt in deſerto Judæi. Et tamen non ſitiiſſe cum ipſos duceret per deſertum affirmat Propheta. Quod profecto non alia ratione intelligendum eſt, quam quia Deus abunde ſuppeditabat, unde ſitim potuerint explere. Potuiſſet Deus, cui nihil ἀδύνατον, id præſtare ut non ſitirent Judæi. Hoc vero feciſſe nuſquam legimus, ſed ipſis ſuppeditaſſe vel ex ipſa petra aquæ venas ad ſedandam ſitim. Quare Prophetæ verba non alio ſenſu poſſunt intelligi, quam quod Deus minime paſſus ſit ut ipſis aqua deficeret in ſiti. Quomodo mox ſubjungit. *Fluere fecit aquam ex petra, cum finderet petram, aquæ fluebant.* Eodem ſenſu, quo Jeſaias dixit non ſitiviſſe Judæos in deſerto, Moſen dixiſſe arbitror *non attrita fuiſſe veſtimenta, neque calceos fuiſſe vetuſtate conſumptos.* Calcei attriti fuerunt & vetuſtate conſumpti, pariter uti Judæi in deſerto ſitiverunt. Attritos non fuiſſe Moſes narrat, pariter uti Propheta refert non ſitiiſſe Judæos.

Potuit

Potuit scilicet atteri vestimentum & calceamentum, sed non deficere vetustate, adeo ut & calceis & vestibus indigerent. Pariter uti sitire potuerunt Judæi, non siti extingui. Potuit quidem Deus id etiam præstare ut non attererentur & vestes & calcei, uti præstare potuit ut non sitirent Judæi. Sed uti non præstitit ut non sitirent Judæi, sed in siti ipsis suppeditavit aquam, ita non præstitit ut non atterentur & vestes & calcei, utque iisdem vestibus & calceis per annos quadraginta incederent, sed admirabili sua providentia id effecit, ut neque materia vestium deficeret, neque sine calceis cogerentur incedere, cum abunde suppeditaret quæ ad vestes & calceos requirerentur. Non sitiisse Judæos utique crederemus si nuspiam exstaret Deum aquas ipsis præbuisse. Non attrita fuisse vestimenta & calceos Hebræorum per quadraginta annos, sed Deum vim incorruptam & vestibus & calceis indidisse, & cum parvulis & pueris & infantibus creviſſe uti cum cochleis conchæ crescunt,

etiam

etiam crederemus, nisi aliunde constaret, qua ratione Deus defectum vestium & calceorum expleverit, ut alias vestes & alia calceamenta sibi potuerint comparare, ubi veteres defeciſſent.

X. Singularis hæc Dei erga populum illum cura & providentia fuit, ut antequam Ægypto discederent Ægyptiorum opibus & vestimentis locupletaret. Præceptum Dei in Exodo legitur, quo *jussit*, ut jam jam Ægypti finibus egressum aurea & argentea vasa ab Ægyptiis peterent, & promittit se ipsis gratiam Ægyptiorum conciliaturum, ut nihil denegarent. Idipsum ab Hebræis factum est *qui ab Ægyptiis petierunt argentea & aurea vasa & vestimenta, cum Deus dedaret ipsis gratiam in oculis Ægyptiorum, adeo ut spoliarent Ægyptios.* Unde constat etiam vestibus, præter illas quas induerant, onustos fuisse Israelitas cum ex Ægypto discederent. Hoc in animo habuisse Aben Ezra videtur, qui Judæos multas vestes multosque calceos ex Ægypto secum tulisse censet. Sane hinc tot habuerunt orna-

Exod. 11. 2. 3.

Exod. 12. 36. 37.

ornamenta & tam amplam vestium materiam, quam ad Tabernaculi structuram, & Sacerdotum vestitum potuerunt conferre. Unde & ad aliquot tempus vestiri potuerunt iis vestibus & calceis quos ex Ægypto secum sumpserant. Non multo post quam egressi ex Ægypto fuerant, Rex Amakelitarum cum exercitu ipsis occurrit, de quo magnam victoriam & spolia ampla reportarunt. Provida hæc deinde fuit Dei cura, ut eos aliquando duceret per regiones amænas & fertiles, in quibus cibum & potum pecunia emere, & de vestibus sibi prospicere potuerunt, quales fuerunt fines Moabitarum & Ammonitarum quod in Deuteronomio legimus. Quarum rerum usu cum ipsis interdiceret Sihon Res Hesbon, *percussérunt eum cum filiis ejus & omni populo, & occuparunt omnes urbes ejus, & devoverunt omnes urbes, viros & fœminas & pueros, & neminem servarunt vivum, & pecudes solas sibi spoliarunt, & spolia urbium quas occuparunt.* Eadem ratione Ogum regem Basanis deleverunt, *& occuparunt sexaginta*

Exod. 17.

Deut. 2. 28. 29. 33. 34. 35.

Deut. 3. 4. 7.

urbes, & pecudes & earum urbium spolia sibi sumpserunt. Quis dubitabit inter spolia quæ ex tot urbibus retulerunt, non fuisse vestes & calceos, & magnam materiam unde vestes & calceos conficere potuerunt? Ubi etiam illud observandum est ipsos pecudum gregibus locupletatos, è quarum lana vestes, & ex pellibus calceos sibi parare potuerunt. Ut omnino singularis hæc fuerit Dei providentia, qua de vestibus & calceis ipsis prospexit, & non necesse sit hoc miraculum fingere, eorum vestes & calceos per quadraginta annos perduravisse, aut cum infantibus & pueris crevisse, sed verba Mosis nihil aliud indicent quam per quadraginta annos ipsis neque vestes neque calceos defuisse, cum detritis veteribus & vestibus & calceis, haberent novos vel alios quos induerent. Quod nos Belgæ elegantur diceremus, *gy zijt in veertigh jaar noch uyt uwe kleederen noch uyt uwe schoenen geraakt.*

CAPUT DECIMUM.

Miraculum singulare Dan. 3. 21. quo Deus in ardenti fornace vestes trium virorum servavit illæsas. Multi interpretes nullam mentionem faciunt calceorum. Alii calceos agnoscunt, sed sunt in multiplici differentia circa vocem quæ calceos notaret. Omnium error. Nostra sententia. סרבלין *est vestis exterior. Ex Judæis multi exponunt vel togam vel pallium.* סרבלין *sunt* σαράβαρα. *Plurimorum error qui* σαράβαρα *femoralia vel tibialia volunt.* Σαράβαρα *vestis fluxa & talaris qualis stola matronarum. Isidori & Tertulliani loca. Justini locus explicatur. Ejus vulgata lectio adversus Salmasium defensa. Persæ braccas olim gestarunt.* פטיש *calceus. Pro pedis tegumento in*

Medrasch Echa. טבלה *tiara. Inde Græcum* Κυβασία. טבלה *ornamentum capitis instar cristæ galli. Pariter* Κυβασία. לבוש *vestimenta interiora. Operis conclusio. Adversus Balduinum digressio.*

I.

SIngularem Dei curam atque providentiam, qua Hebræis cum in Arabiæ desertis obambularent per annos quadraginta variis modis de calceis prospexit, ita ut nunquam ipsis defuerint, licet minime eorum calceis, quibus induti fuerant cum ex Ægypto discederent, virtutem incorruptam indiderit, aut crescendi facultatem ut cum puerorum & adolescentum pedibus crescerent sicuti cum cochleis conchæ, superiori capite expositimus, & futilem explosimus errorem. Nunc verum miraculum illustrandum est, quod Sadracho Mesacho & Abednegoni contigit, qui, cum captivi Babylonem abducti essent, & imaginem auream, quam Nebucadnezar coli

coli præceperat, adorare nollent, in fornacem ardentem cum vestimentis suis conjecti sunt, quos tamen Deus non solum servavit illæsos, verum etiam ipsas vestes à vi ignis tutas præstitit. Ita refert historia, quæ, ex Babyloniorum archivis Chaldaicè relata, inter Danielis vaticinia legitur. Dan. 3. 21.

באדין גברייא אילך כפתו בסרבליהון
פטישיהון וכרבלתהון ולבושיהון ורמיו לגוא
אתון נורא יקדתא *Tunc viri hi ligati sunt cum sarabaris suis, calceis suis, tiaris suis, & vestibus suis, & conjecti sunt in medium fornacis ignis ardentis.*

II. Nonnulli interpretes hæc quatuor vocabula, de quorum distincta notione vix quicquam certi noverunt, ita reddunt, ut nulla fiat calceorum mentio. Inter hos sunt Belgæ nostri, qui verterunt: *Doe wierden die mannen gebonden in hare mantels, hare broeken, ende hare hoeden, ende hare* andre *klederen*: hoc est, *tunc viri hi ligati sunt cum palliis suis, & braccis suis, & pileis suis, &* aliis *vestibus suis*, & vir eximius Johannes Coccejus in ea versione quam in Observationi-

bus ſuis ad Danielem dedit: *Tunc viri hi ligati ſunt cum chlamydibus ſuis, femoralibus ſuis, pileis ſuis & veſtibus ſuis.* Etiam vir illuſtris Hugo Grotius nullam harum vocum de calceis explicavit. Quomodo & magnus Buxtorfius nullius horum vocabulorum ſignificationem dedit calceorum: סרבלין enim dicit eſſe *chlamydes*, *pallia*, פשיש *ſubligaculum*, *femorale*, כרבלה *paludamentum*, *tegumentum*, לביש *indumentum*, *veſtimentum*. Ubi illud omnino non poſſum capere, quomodo vir magnus, qui סרבלין *chlamydes*, *pallia* dixit, כרבלה velit eſſe *paludamentum*. Id enim ſi verum foret hi viri veſtiti fuiſſent *clamydibus*, *femoralibus & paludamentis*. Alii vero de calceis etiam cogitarunt. Sed hi ſunt in varia atque multiplici differentia quodnam vocabulum calceos notet. סרבלין quibusdam ſignificant מגלים *calceos*, ut obſervat Saadias. Tradit Hieronymus Symmachum vertiſſe ἀναξυρίδες: qua voce quidem Theſaurus linguæ Græcæ multis auctoribus probat braccas & femoralia ſignificari, quomodo & apud Suidam

Grot. in h. l.

Bux. in Lex. Hebr.

Hieron. Comment. in Dan.

Suidam & Hesychium synonyma sunt ἀναξυρίδες, φιμινάλια, βράκια, sed quam alii pedum tegumenta volunt. Hesychius: ἀναξυρίδες τὰ βαθέα καὶ βασιλικὰ ὑποδήματα. Pollux: Τὰ δὲ πέλυνξα εἶδος ὑποδήματος, ὥσπερ τὰ πόδια, ἃ ταῦτα ἦν ταῖς ἀναξυρίσιν, ἃς σκελέας ἔνιοι ὀνομάζουσι. At Lutherus פשתין *schuhen*, *calceos* vertit, quem secutus est in sua Expositione vocum Chaldaicarum vir summus Johannes Coccejus, licet *femoralia* reddiderit in ea versione quam in Observationibus ad Danielem dedit. Theodotion vero, cujus est Danielis Græca interpretatio, סרבלין exponit περισκελίδες, & Vulgatus *calceamenta*. Quæ quidem diversitas dubium omnino reddit & incertum, quodnam ex his vocabulis *calceos* significet.

Pollux lib. 7. cap. 22.

III. Ego & illos errare arbitror qui nulli horum vocabulorum significationem *calcei* tribuerunt, & plerosque eorum, qui, ut in re incerta conjectantes, vel hoc vel illud ea notione sumpserunt, & has voces non alia ratione distinguendas quam ut סרבלין sint

Sarabara, פטיש *calceus*, כרבלה *tiara*, לבוש *vestis interior*. Sic reddidisset Theodotion, σὺν τοῖς σαραβάραις αὐτῶν, καὶ πήραις, καὶ φελωνηµίοις, καὶ ἐνδύµασιν αὐτῶν, si vera est viri longe eruditissimi Johannis Drusii conjectura, qui legi mavult ordine inverso ὁ φελωνηµίοις, καὶ πήραις, ut פטשין sint φελωνηµίδες, & כרבלן πήραι. Non multum abit ὁ πάνυ Johannes Coccejus, magnum Lutherum secutus. *Igitur non dubito*, inquit, quin כרבלין *notet togas, aut pallia*: כרבלן *tiaras*: פטישין φελωνηµίδας, & לבושין *interiores vestes, quibus corpus texerant. Habebimus vestem corporis exteriorem & interiorem, tegmen capitis & pedum. Luth. In ihren mantelen, schuhen, huten und anderen kleideren.* Sed quia à nemine aliquid certi de his vocabulis est traditum, operæ pretium est hoc accuratius adstruere.

Druf. in Dan. 3. 22.

Cocc. in Expos. Dict. Chald.

IV. כרבלין notare vestem exteriorem, quæ statim in oculos incurrit, ex eo certissimum videtur, quod cum Sadrach Mesach & Abednego ex fornace ardenti educuntur, *pili capitis eorum non aduſti* dicantur וכרבליהין לא שנו & *Sarabala*

Dan. 3. 27.

rabala ipsorum non mutata. Sarabala nihil aliud fuisse quam vestimentum exterius, quod statim conspicitur, vel ex eo manifestum est, quia omnium loco nominatur, ut constet nihil in eorum vestibus mutatum. Quid enim aliud proclivius est intelligere quam vestimentum aliquod externum, cujus splendor cum non fuerit mutatus omnia incorrupta & illæsa cognoscantur? Sane aptissimum est dicere Sarabala non esse mutata, hoc est, vestimentum exterius, ut significetur nihil in vestibus igne consumptum, quia hoc, cum non arserit, miraculum reddidit evidentius. Animadvertisse hoc illi videntur, qui סרבלין vel *togam* vel *pallium* volunt. Ita Iachiades, qui Danielem Paraphrasi illustravit, vestem intelligit exteriorem quod corpus operit, quale pallium, vel simile quid. בסרבליהון והם הלבושים אשר יכסו כל הגוף בצאת האיש מביתו ללכת בשוקים וחוצות ובלעז מאנ"טילו או רומ' לו *Cum sarabalis suis, h. e. cum vestimentis quæ totum obtegunt corpus, ubi quis è domo sua prodit in publicum, sive forum ac plateas,*

Iachiad. ad Dan. 3. 21.

plateas, & barbare Mantilo, *aut quid simile ei.* Nathan Justus in Lexico juris Hebraici laudat doctores Babylonios, qui affirmant fuisse vestem quandam superiorem, quam *Talith* nuncupant, id est *togam* aut *pallium.* Aben Ezra quoque vestem superiorem scribit ab obtegendo dictam, quæ nulla alia est quam toga vel pallium. Hanc sententiam sequuntur *recentiores* Iudæi, apud quos *Sarabara,* ut Elias ait, in vulgari usu est pro *pallio. Nos vocamus,* inquit, למלבוש העליון *vestem superiorem* סרבל *Sarbel, quæ in lingua Germanica & Italica vocatur* מנטיל *mantil.* Qua significatione & apud Thalmudicos legitur. Quin vestem superiorem esse, quæ totum corpus tegebat, confirmat vocis hujus origo. סראלין est à סרבל quod Chaldæis non modo verum etiam Arabibus est *tegere, operire,* unde optime סרבלין vestimentum exterius dicitur, quod corpus hominis obtegit, quomodo *toga* à tegendo Romanis est appellata. Quare ego omnino non dubito quin סרבלין non quidem sint aut togæ, aut pallia, qualis nempe

Elias in Thisbi.

Talm. in Sanhedrin & Schebhuoth.

toga

toga fuit Romanis, aut pallium Græcis, aut qualibus nos hodie utimur, sed σαράβαρα, uti hanc vocem reddidit Theodotion, hoc est, vestis fluxa & talaris, quales stolæ matronarum, quomodo & Aquila habuit σαράβαλα, uti Hieronymus est auctor, qui ita legi etiam postulat. Quod tamen non est necesse. Σαράβαρα enim æque ut σαράβαλα rectum est, cum has literas R. & L. facillime permutari sit notissimum, uti jam dudum plurimis exemplis eruditi homines ostenderunt. Equidem scio aliter σαράβαρα à Suida atque Hesychio explicari. Suidas enim σαράβαρα ἐσθὴν περσικήν *vestem Persicam* facit, quam ἔνιοι λέγουσι βράκια *quam nonnulli braccas vocant*, & Hesychius Sarabara vult esse περὶ τὰς κνημῖδας (vel ut alii cum Stephano legunt κνήμας) ἐνδύματα, hoc est *crurum indumenta*, quomodo & alibi habet: Σκέλιαι τὰ τῶν σκελῶν σκεπάσματα, πάρθοι σαράβαρα. Etiam non latet mihi exponere Scholia Græca: τί ἐς σαράβαρα εἰρήκασι τὰ μὲν παρὰ τῶν πολλῶν λεγόμενα Μώκια, παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν ἀναξυρίδες περισκελεύ-

μμα, & pro Μάκια forsan legendum Βράκια jam dudum monuisse virum

Drus. in Fragm. Vet. ad Dan.

præstantissimum Johannem Drusium. Sed hos omnes errare tam certum est mihi, quam ipsum Hieronymum, omnium patrum doctissimum, qui notavit: *Lingua Chaldæorum saraballa crura hominum vocari & tibias, & ὁμωνύμως etiam braccas, quibus crura teguntur & tibiæ, quasi crurales & tibiales appellatas.* Quod sane unde hauserit omnino nescio. Etenim saraballa lingua Chaldæorum crura hominum vocari non credo Hieronymum ullo testimonio posse confirmare. Sed omnes decepit vox peregrina quam non intellexerunt, unde & aliis imposuerunt viris nostro seculo doctissimis, qui σαράβαρα vel *braccas* esse conjecerunt, vel tibiarum indumenta,

Nigr. de caliga. pag. 12. Braun. de Vest. Sac. Hebr. pag. 454. Bochart. Phalegh. l. 1. c. 6.

uti videre est apud Iulium Nigronum, qui hic vehementer est ambiguus, itemque Johannem Braunium, imo ipsum Samuelem Bochartum, qui סרבל *Sarbel* σαράβαλλον *saraballum exponimus*, inquit, *cum Aquila Theodotione & Hieronymo Dan. 3. 21. Proprie femoralia significat,*

ficat, ut Arabice סראויל *saravilo, & græcè* σαράβαρα: cum tamen σαράβαλα, vel permutatis literis R. & L. σαραβαρα, vox sit à סרבלין deducta, quæ à סרבל, quod *tegere* significat, vestimentum notat exterius, quod corpus tegebat, qualis stola matronarum. Braccas sane hic intelligere esset invenustum. Omnium enim instar nominare braccas, ut testimonium sint vestes à vi ignis mansisse illæsas, quis non videt esse ineptum? Quare Σαράβαρα puto esse vestem fluxam & talarem qualis est stola matronarum. Ita docet Isidorus. *Quibusdam autem nationibus*, inquit, *sua cuique propria vestis est, ut Parthis sarabaræ.* Et statim post: *Sarabaræ sunt fluxa & sinuosa vestimenta de quibus legitur in Daniele: Et sarabaræ eorum non sunt immutatæ. & Publius, Ut quid ergo in ventre tuo Parthi sarabara suspenderunt.* Clarius autem adhuc Tertullianus. *Vicerat*, de Alexandro M. Loquitur, *Medicam gentem, & victus est Medica veste. Triumphalem cataphractam amolitus, in captiva sarabara decessit*, hoc est assumpsit captivæ

Isid. Orig. lib. 19. cap. 13.

Tertul. de Pal. cap. 4.

ac victæ gentis vestem pro suo habitu triumphali, *Sarabara* hic minime *braccas* notare, oppositio *triumphalis cataphractæ* ostendit, quæ loricam ex ferro notat. Tum & ea quæ sequuntur. *Pectus squammarum signaculis disculptum, textu pellucido tegendo nudavit, & anhelum adhuc ab opere belli, ut mollius, ventilante serico extinxit.* Quæ docere possunt sarabara non nisi de stola Medica accepisse Tertullianum. Stolam autem Medicam fuisse vestem fluxam & talarem, quales stolæ matronarum, Xenophon ostendit, qui eam à Medis ad Persas transtulisse Cyrum refert. *Itaque elegit* στολὴν Μηδικὴν *& ipse fere, & ut familiares ea uterentur persuasit. Hæc enim visa ei occultare si quis defectum aliquem haberet in corpore* (quod fluxa nimirum & talaris) *præterea illa indutos pulcherrimos & maximos conspici.* Quomodo & ad Medos cum imperio transierat ab Assyriis, qui hunc morem vestis tenuerunt à Semirami de edocti, uti Justinus refert. *Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit: & ne novo habitu aliquid*

Xenoph. lib. 8. de Cyro.

Iustin. l. 1. c. 2.

aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri jubet: quem morem vestis exinde gens universa tenet. Scilicet Semiramis, quæ se pro uxore Nini, filium, pro femina, puerum simulabat, ut sexum facilius mentiretur, nec fraus deprehendi posset, tunicam longam & manuleatam induit, quæ non tantum pectus & humeros, sed etiam brachia & crura velaret, qualem vestem Assyrii, & postea Medi, ac deinde Persæ gestarunt, & στολὴν βαρβαρικὴν, στολὴν Μηδικὴν, & στολὴν Περσικὴν vocant prisci scriptores, & nunc etiam gestant isti populi, uti illi norunt, qui mercatores Persas, & ex Oriente alios, Amstelodami viderunt. Sollicitavit quidem hunc Justini locum maximus Salmasius, & pro *velamentis* ex fide MSS. codicum reposuit *calceamentis*, & explicavit fascias crurales & feminales. Sed ὁ πάνυ hic mihi lapsus videtur. Est enim retinenda vulgata lectio, neque de fasciis cruralibus exponendus locus. *Velamenta* Justinus alibi pro veste dixit. *Priusquam*, inquit, *adversus calorem vel frigus velamenta corpo-*

Salm. ad Ælii Lampr. Alex. Sev. cap. 40.

Iust. lib. 2. cap. 1.

corporis invenirentur, hoc est vestes. Eodem sensu de Semiramide dixit, *brachia & crura velamentis tegit*, h. e. veste quæ brachia & crura velaret. Quæ vero alia hæc fuit quam tunica longa & talaris, qua non solum pectus & humeri, sed brachia quoque ad manus usque & crura velarentur, quam proinde πλὴν Σεμιράμιδος Diodorus Siculus dixit? Hunc verum esse hujus loci sensum ipsius Justini verba sequentia ostendunt: *quem morem vestis exinde gens universa tenet.* Utique eum morem vestis tenuit gens universa *ut brachia ac crura velamentis tegeret*, h. e. tunicis uteretur laxis & talaribus & manuleatis, quas σόλας veteres vocarunt, & olim Assyrii gestarunt, & postea Medi ac deinde Persæ. Neque video cur ut sexum mentiretur fasciis cruralibus & feminalibus crura velasset Semiramis, & non potius stola sive tunica longa & talari & manuleata, quæ totum corpus tegebat, & celabat etiam eam pectoris partem, quæ fraudem facile detexisset. Sane non intelligendas esse fascias crurales & feminales, uti exponit ὁ μέγας Sal-

Diod. Sic. Biblioth. lib. 1.

Salmasius, vel id ostendit quod de brachiis Justinus refert: Idenim non nisi de tunica manuleata quæ brachia ad manum usque velaret intelligendum est. Ut profecto mirer, maximum Salmasium de fasciis cruralibus hic cogitasse, cum de brachiis æque ac de cruris Justinus dicat ea Semiramidem velamentis texisse. Talem tunicam sive στολὴν Μηδικὴν vel Περσικὴν, vel βαρβαρικὴν ego *sarabara* fuisse puto, uti optime interpretatus est Isidorus, & accepit Tertullianus. Scilicet Sadrach & Mesach & Abednego uti captivorum reliquorum numero exempti erant ut Regi Nebucadnezari ministrarent, & præfecti negotiis provinciæ Babel, ita & in sarabara decesserant, hoc est assumpserant victoris populi vestem: quæ eleganter Tertullianus *captiva sarabara* vocavit, cum dicit Dei curam & providentiam non siviſſe, *ipsorum postremo adolescentium captiva sarabara comburi.* Quod alibi dixit: *Qui Babylonii ignes trium fratrum nec tiaras, nec sarabaras, quanquam Judæis alienas, læserunt.*

Dan. 1. Dan. 2. 49.

Tertul. in libro de Trinit.

& de Resur. Carn. cap. 58.

V. פשתים esse *braccas* olim mihi placebat. Etenim licet in vestitu veterum Hebræorum, Græcorum, & Romanorum illud fuerit à nostris moribus alienum, quod braccarum usum ignoraverint, quomodo nos vocamus illud vestimenti genus quod femora tegit, uti prolixe docuerunt Isaacus Casaubonus, Julius Nigronus, Gaspar Sanctius & nonnulli alii, noverant tamen Gallos, qui provinciam Narbonensem incolebant, non tantum braccas olim gestasse, atque inde *braccatos* dictos, verum etiam Persas, de quorum braccis Ovidius.

Casaub. ad Suet. Aug. cap. 82. Nigr. de Caliga pag. 9. &c. Sanct. in Cant. 5.

Ovid. l. 4. Trist.

Hos quoque qui geniti Graja creduntur ab urbe
Pro patrio cultu Persica bracca tegit.

Quomodo & Thraces braccas gestarunt. De Orpheo Philostratus: χαίρεσι γὰρ δὴ τῷ Ὀρφεῖ, πάρφαν ἴσως καὶ ἀναξυρίδα τιμῶντες, ἃ γὰρ μουσικὴν γε ἀδὲ ᾠδὰς αἷς ἔτελγεν: *Plurimum namque Orpheo gaudebant incolæ, tiaram forsan & braccas admirati, non sane Musicam aut carmina, quibus demulcebat*

Philost. lib. 1. de vita Apollon. c. 18.

cebat homines. Unde & Orpheus in marmoreis antiquorum monumentis cum tiara & braccis cernitur, uti videre est apud Antonium Bosium. Parthorum quoque regis statua braccata conspicitur, quam olim à Cavallerio editam exhibet vir eximius Octavius Ferrarius. Ea vero opinio mihi nunc non probatur. Præterquam enim quod nullo argumento confirmari possit מכנסין esse *braccas* sive *femoralia*, puto *braccas*, & si quid aliud vestimenti genus sub sarabaris gestarunt, includi voce לבוש, quam vestes interiores, quas sub sarabaris induere solebant, significare, mox ostendemus. Ut non braccæ hic indicentur, sed pedum tegumentum, quod tiaris, capitis ornamento opponitur, uti etiam hanc vocem intellexit Theodotion, ex cujus interpretatione Danielem legi Hieronymus docet. Reddidit enim περικνημίδας, uti pro τιάραις καὶ περικνημίσι inverso ordine legi mavult καὶ περικνημίσι καὶ τιάραις vir magnus Johannes Drusius. περικνημίδες autem sunt ocreæ, pedum & crurum tegumenta, quomodo Persarum

Bos. in Roma subterranea.

Ferrar. de Re Vest. p. 2. lib. 1. cap. 8.

Hieron. Proem. in Dan.

rum calcei olim forte fuerunt, quales Turcarum hodie sunt, medio crure tenus, ita ut non solum imos pedes, sed etiam mediam tibiarum partem circum circa velarent, quales etiam fere fuerunt quibus ante non multos annos in fœderata Belgica nostra ditiores usi sunt ex corio Hispanico. פשש vero esse pedum tegumentum etiam argu-

Buxt. Lex. Talm. R. פשש

mento est, *quod Iohannes Buxtorfius*, cujus merita erga Hebræam linguam & sacram literaturam nulla tacebit ætas, in magno illo opere triginta annorum vocem פשש habet, quam *soccum*, *pedilium*, exponit, & exemplum adducit quod sic

Medrasch Echa cap. 1. ℣. 1.

Baal Aruch ex Medrasch Echa citat: חמית בחלמא דלית ברגלי פשוש *vidi in somnio, quod non esset in pedibus meis soccus*, ubi tamen in suo exemplari legi פטיש addit, quod Glossator monet esse ex significatione פטשיהון in hoc Danielis loco. Recte sane פטיש legitur & ex significatione פטשהון esse monet Glossator. *Soccum* quidem & *pedilium* exponit Buxtorfius, potest tamen ut sit calceus. Quod si verum non est, illud tamen est certissimum non brac-

braccas esse, uti פטשין volunt, sed pedum tegumentum:

VI. כרבלה *tiaram* esse non multum laborandum est ut demonstremus. Ita enim exponit maxima pars Rabbinorum. Iachiades: הם הבגדים המכסי הראש ככובע וזולתו *Hæ sunt vestes, quæ obtegunt caput, ut galea & similes.* R. Saadiah: קסידין שבראשן כמין כובעים *Cassides, quæ in capite instar galearum.* Elias: מלבוש של ראש *vestis capitis.* Consentit David Kimchi, Baal Aruch, & complures etiam vernaculi interpretes. Jam olim Hieronymus: *Genus pilioli, quo Persarum, Chaldæorumque gens utitur.* Quorum verissimam esse sententiam non tantum ex eo confirmari potest, quia verisimile est in harum vestium descriptione tiaras nominari, quas semper gestarunt Chaldæi, Persæ, Parthi, quemadmodum innumera veterum scriptorum loca ostendunt, quæque ad hunc usque diem satis in usu sunt per totum fere Orientem, uti vel omnibus in hoc nostro Belgio constat, qui Amstelodami mercatores Armenos, Persas, Turcas suis tiaris ornatos

Iachiad. in Paraphr. ad Dan.

Elias in Thisb.

ornatos viderunt, sed verum etiam quod ab hac voce כרבלה apud Græcos deducta sit Κυρβασία, quę idem capitis ornamentum significat. Hesychius: Περσῶν μὲν ἴδια κανδὺς καὶ ἀναξυρὶς καὶ τιάρα, ἣν καὶ κυρβασίαν, ὃ κίδαριν, ὃ πῖλον καλοῦσι. *Persarum propria kandys, & anaxyris, & tiara, quam kyrbasiam, & cidarim & pileum vocant.* Pollux: καὶ κυρβασία, ἣν κίδαριν ὃ πῖλον καλοῦσι *& kyrbasia, quam cidarim & pileum vocant.* Idem Hesychius. Τιάρα ἡ λεγομένη κυρβασία. Ταύτῃ μὲν οἱ πέρσαι βασιλεῖς μόνοι ἐχρῶντο ὀρθῇ, οἱ δὲ στρατιῶται ὑποκεκλιμένῃ, *Tiara quæ vocatur kyrbasia: qua Persarum Reges soli recta utuntur, milites autem inclinata.* Eadem fere Suidas habet. Κύρβασις, ἔνιοι μὲν τιάραν, ἣν οἱ βασιλεῖς τῶν πέρσῶν ὀρθῇ ἐχρῶντο, οἱ δὲ στρατιῶται ὑποκεκλιμένῃ *Kurbasis, quidam tiaram vocant, qua Persarum Reges recta utuntur, milites autem inclinata.* Ubi omnino observandum, quod in magno opere notavit Buxtorfius vocem כרבלא (quam miror iterum *tegumentum, paludamentum* virum maximum exponere &

Pollux. l. 7. c. 13.

Hesych. in τιάρα.

Buxt. Lex. Talm. pag. 1084.

& nullam mentionem facere istius sententiæ quam tot Rabbini habent quos nos adduximus, quæ vult esse capitis vestem instar galeæ) Aruch scribere fuisse vestimentum rubrum כנון כרבלתא תרנגולא *instar cristæ galli.* Utique hoc ipsum est quod de κυρβασιά veteres prodiderunt, licet id tantum dicant de ea quæ recta est & Regi Persarum propria. Hesychius: Κυρβασία, ὀρθὴ πάρα. ταύτῃ ὖ οἱ πρῶτοι βασιλεῖς ἐχρῶντο, καὶ κορυφῆ ἀλέκτορος. Inprimis elegans est Aristophanis locus, qui Gallum Persis imperasse ex eo probat, quod etiamnum illius crista recta sit ut recta tiara. Aristoph. in Avibus.

Αὐτίκα δ' ὑμῖν πρῶτ' ἐπιδείξω τὸν Ἀλεκτρυόν' ὡς ἐτυράννει,

Ἦρχε τε πρώτων πρῶτον Δαρείου καὶ Μεγαβύζου.

Ὥς τε καλεῖται πρώτιστος ὄρνις, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἔτ' ἐκείνης

Διὰ ταῦτ' ἄρ' ἔχων καὶ νῦν, ὥσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας Δαβάζει,

Ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν κυρβασίαν, τῶν ὀρνίθων μόνος, ὀρθήν.

Satim autem vobis primum ostendam Gallum

Gallum quod regnabat, imperabatque Persis prius quam Darius & Megabyzus. Quare vocatur Persicus avis, à dominatione adhuc illa, propter hæc habens & nunc, sicut rex magnus incedit, in capite Kyrbasiam, avium solus, rectam. Festivissime jocatur gallum Persarum Regem fuisse, quia etiamnum solus avium cristam erectam, uti Persarum Rex κυρβασιὰν ὀρθὴν, habet. Quæ ostendunt κυρβασιὰν idem esse quod כרבלא, *tiaram* nempe, qualem gestarunt Persæ, Chaldæi, & alii Orientis populi.

VII. לבושין esse *vestes interiores*, quas sub sarabaris habebant, voluit Jachiades. הם המלבושים העליונים על הכנדים הראשונים מתחת הסרבלים *Hæc sunt vestimenta, quæ induebantur præter vestes priores infra sarabara.* Cujus sententia mihi verisima videtur. לבש quidem est *induere*, & לבוש *vestis*, attamen hic sumitur pro iis vestibus, quas sub stolis habuerunt, quales braccæ, & si quid aliud in usu fuit vestimenti genus. Hac ratione apparet, quomodo vestiti fuerint Sadrach Mesach & Abednego, stola nempe Medica,

Iachiad. Paraphr. in Dan.

dica, calceamentis, tiara, braccis aut vestibus aliis, quas sub sarabaris habuerunt. Ita vero singularis Dei cura, atque providentia illuxit, ut non tantum ipsorum corpora à vi ignis illæsa servaverit, verum etiam ipsas vestes. Nam, cum ex fornace ignis ardentis essent educti, pili capitis ipsorum non erant adusti, neque sarabara mutata, neque odor ignis transierat. Dan. 3, 27.

VIII. Ita defunctu sum omni labore, qui circa calceos Hebræorum impendendus fuit. Nemo enim expectet ut de calceo mystico prolixe disputem, quod quidem fecit Benedictus Balduinus. Tertiam ille partem sui libelli de Calceo antiquo implevit, ut, Patrum plurimorum ductum secutus, multa ex calceis mysteria venaretur, atque ex iis tum Christi incarnationem, tum prædicationem Euangelii, tum nescio quæ alia ostenderet. Fuit hoc antiquorum Ecclesiæ doctorum magnum studium, ut à sensu, quem vocant literali atque historico, ad mysticum ascenderent. Quæ interpretandi ratio ab Origine potissimum

cæpta, qui ingenio, quo fuit acri, nihil magis scrutabatur quam sensum, quem vocabat spiritualem, cum sensus, qui dicitur literalis, minus humilis ipsi & simplex videretur, ita ad reliquos omnes pervasit, ut vix aliquis in veteri Ecclesia ab hoc studio fuerit immunis. Ipse Hieronymus, licet juste de Origine sit conquestus, *quod ita allegorizet, ut historiæ auferat veritatem*, quiddam excessus hic pati videtur, itemque Augustinus: ne de Ambrosio, Hilario, Gregorio ac pluribus aliis dicam. Horum exemplo; & ex horum scriptis, Benedictus Balduinus de Calceo Mystico prolixe disseruit. Mihi vero id pessimo fieri instituto videtur. Quid enim aliud agunt hi homines, quam ut sibi fingant mysteria & allegorias, quas pro lubitu, etiam invito Spiritu S. magno labore probare conantur? Non diffiteor hæc specie ingenii & novitatis blandiri, quæ maxime homines inflammare solet, ad aliquid quod supra vulgi captum sit, nihilque plebejum præ se ferat, moliendum. Etiam scio quo quis

Hierō. in Epist. ad Pammaci.

audacius & ineptius aliquid sit commentus, modo non sit dictum populariter, tanto facilius arripi ab iis hominibus, qui sibi in his argutiis & ventosis acuminibus placent, uti semper sunt istorum portentorum admiratores, qui cum judicio non valeant, nec di judicare possint quid distent æra lupinis, facile in hæc vitia incidunt, in quibus sibi delicias faciant. Mihi tamen nulli majori cachinno digni videntur quam istiusmodi homines, qui sic sibi placent in exponendis mysteriis, & allegoriis, etenim licet quam maxime sibi videantur sapere, culpam tamen & notam lascivientis ingenii effugere non possunt, & incurrunt censuram hominum non putidorum, qui hæc non damnant modo, sed etiam irrident. Ego quidem nunquam committam ut carbones ejusmodi pro thesauris aut ipse arripiam aut lectoribus venditem. Ea juvant quæ sunt vera, solida, & nullis ineptiis obnoxia, præ illis miris & inauditis, quæ vani homines consectantur. Quare missis tricis istiusmodi hic gradum sisto, &

Deo Ter Optimo Maximo supplex gratias ago, quod vitam & valetudinem conceſſerit, ut hæc perficere potuerim quæ eum in finem à me elaborata ſunt, ut non nulla ſacrarum literarum loca tenebricoſa aliqua luce perfunderem.

Δόξα τῷ Θεῷ.



INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ,
Quæ citantur, illustrantur, explicantur.

	cap.	℣.	pag.
GEN.	3.	18.19.	4.
		21.	4.24
	9.	25.	123.
	13.	17.	317.
	14.	23.	8.164. 175.298.
	18.	4	141.238.
	19.	2.	141.
		32.	303.
	22.	15.	124.
	24.	10.	192.
	38.	8.9.	314.
	49.	10.	304.
		20.	74.
EXOD.	3.	5.	14.256. & seq.
	11.	2.3.	384.
	12.	11.	235. & seq.
		36.37.	384.
	17.	8.	385.
	25.	5.	54.
	26.	14.	ibid.
	28.	1.4.	263.264.
	30.	19.20.	266.
	35.	23.	54.
	36.	18.	ibid.
	39.	34.	ibid.
LEVIT.	16.	29.	278.
	23.	27.	279.
	25.	25.	341.
	cap.	℣.	pag.
NUM.	4.	6.8.10. 11.13. 14.15.	54.
	29.	7.	279.
DEUT.	1.	36.	317.
	2.	28 29. 33.34.35.	385.
	3.	4.7.	ibid.
	8.	3.4.	369. & seq.
	25.	5.	139.313.
		7.8.9.	315. & seq.
		9.	160.
	29.	5.	14.85. 243.372. & seq.
		19.20.	126.
	33.	25.	74. &se.
		29.	318.
IOS.	1.	3.	317.
	5.	15.	14.256. & seq.
	9.	5.	31. & seq. 143.245.
		13.	373.
	10.	24.	318.
IUD.	5.	17.	76.77.
	8.	21.	206.211. 212.
		26.	208.

	cap.	℣.	pag.
RUTH.	2.	1.	332.
		20.	ibid.
	3.	9.	342.
	4.	3.	332.
		5.	340.
		7. 8.	325. & seq.
1. SAM.	12.	4.	39.
	13.	13.	109.
	17.	6.	90.
2. SAM.	7.	11.	109.
	8.	14.	364
	15.	30.	12. 13. 294.
1. REG.	2.	5.	100.
	19.	8.	379.
	21.	27.	276. 277.
2. REG.	1.	8.	30.
2. PAR.	28.	15.	17. 297
EZR.	2.	68.	110.
	3.	3.	ibid
NEH.	9.	20. 21.	369. & seq.
IOB	12.	17. 19.	297.
PSAL.	60.	10.	78. 351. & seq.
	65.	7.	109.
	72.	3.	128.
	89.	15.	110.
	91.	13.	318.
	103.	19.	109
	108.	10.	351. & seq.
	110.	1.	318.
PROV.	7.	22.	190.
	30.	16. 20.	305.
CANT.	1.	12.	239.
	4.	11.	375.
	7.	1.	66. 67. & seq.
IESA.	3.	16.	198.
		18.	187. & seq. 206. & seq.
	5.	27.	177. & seq.
	9.	7.	128.
	11.	15.	15.
	20.	2.	12. 13. 298.
		3. 4.	16. 17.
	22.	24.	361.
	27.	4. 5.	126.
	48.	22. 244.	381. & seq.
	61.	1. 2.	119.
	65.	11.	217. & seq.
IERE.	2.	20.	172.
		23.	166. & seq.
		24.	173.
		25.	298. & seq.
	22.	24.	279.
EZECH.	16.	10.	15. 45. & seq.
		16.	31.
	24.	17.	12. 13. 305 & seq.
	34.	24.	128.
DAN.	3.	21.	389. & seq.
		27.	409.
AMOS.	2.	6.	38. 39. 8.

cap.	℣.	pag.
	8.	239.
8.	6.	38. 39.
IONA. 3.	6. 9.	276.
MICH. 1.	3.	317.
	8.	296. 297.
3.	1. 5.	129.
ZACH. 3.	11.	110.
6.	13.	128.
8.	19.	286.
9.	9. 10.	124.
MAL. 4.	3.	318.
SYR. 46.	22.	38.
IUDITH. 10.	3.	70. 165.
16.	11.	39. 70. 165.
MATH. 3.	11.	185. 365.
10.	10.	150. & seq. 271.
22.		314.
MARC. 1.	7.	164. 184. 362.
6.	8.	156.
	9.	20. 150. & seq
LUC. 2.	14.	115. & seq.
3.	16.	184. 362.
7.	38.	248. 249.
	44.	141.
9.	3.	156.
10.	19.	319.
15.	22.	17.
IOH. 1.	27.	184. 362.
13.	4. 5.	250. 251.
14.	27.	129.
ACT. 9.	43.	30.
10.	5.	30. 40. 41.
12.	3.	20.
	8.	140.
13.	25.	184. 362.
14.	16.	123.
ROM. 3.	29.	115. 125.
5.	1.	ibid.
14.	17.	125.
2. COR. 5.	19.	115. 128.
GAL. 3.	28.	125.
EPHES. 1.	5.	119.
2.	12.	124.
	14.	123. 124.
	17.	114.
6.	11.	104.
	12. 13.	97. 104.
	15.	98. & seq.
1. COL. 1.	23.	114.
HEBR. 11.	37.	30.
12.	23.	120.
APOC. 5.	9. 10. 13.	ibid.

INDEX AUCTORUM,

Qui laudantur, notantur, illustrantur aut emendantur.

A.

ABarbanel. 188. 325. 331. 333. 335.
Aben Ezra. 191. 218. 345. 355. 371. 377. 384. 394.
Refellitur. 357. 358.
Ælianus. 8. 73.
Æschylus. 181.
Agellius. 133. 163.
A Lapide. 218.
Alcoranus. 220. 221.
Alexander ab Alexandro. 104. 205.
Notatus. 73.
Ambrosius. 51. Notatus. 410.
Aquila. 31. 48. 170. 395.
Arabs interpres. 48. 51.
Erpenianus. 75.
Parisiensis. 75.
In Suecia Mss. 48.
In Bibliotheca Arundelliana. 218.
Notatus. 76. 277.
Arba Turim. 279.
Arias Montanus. 218.
Aristophanes. 9. 23. 366. 407.
Aristoteles. 171. 288. 376.

Arthe-

Arthemidorus. 41.
Aruch. 68.404.405.470.
Athenæus. 45.134.174.239.
Auguſtinus. 19. 228.
Notatus. 110.

B.

BAlduinus (Benedictus.) 3.19.22.25.41. 51.62.64.65.99.132.137.146.151. 187. 188. 205. 206. 215. 257. 282. 319.354.358.
Notatus. 195.409. & ſeq.
Refellitur. 5.6.7.152. ad 158.179.180. 181.260.207.294.295.308.316. 317.320.321.356.360.
Barradius. 19.
Barthenora. 265.268.
Barthius (Caſpar) notatus. 201.
Bartholomæus Giorgiomentz. 254.
Baſilius 116.
Belgæ interpretes. 75. 91. 102. 178. 198. 212.218.299.347.354.355.371.
Notati. 87.190.198.212.272.357.389.
Refelluntur. 46.47.67.80.81.101.103. & ſeq. 166.167.168.214.331.
Bertramus (Cornelius.) 342.
Beza. 106.107.113.120.153.157.
Notatus. 101.
Biblia complutenſia. 155.208.
Francofurtenſia. 155.

Romana. 208.370.
Veneta. *ibid.*
Bochartus. 9.11.29.31.45.46.48.49.53.
55.83.84.88. 134. 170. 239. 240.
277. 381.
Refellitur. 12.13.14.15.16.17.242.243.
Notatus. 374.396.
Bonaventura. 19.
Bonfrerius. 338.
Bosius (Antonius) 403.
Botius (Arnoldus.) refellitur. 360.362.
Bourdelottius. 199.
Boxhornius. 205.
Braunius. 55.56.263.265.281.308.363.
Refellitur. 270.271.272.290.291.294.
Notatus. 396. (295.308.
Brentius refutatur. 355.356.
Bucerus refutatur. 360.361.
Burgensis (Paulus.) 19.
Buxtorfius. 31.32.36.49.55.67.137.172.
190. 198. 209. 218. 248. 255. 280.
281.286.287.289.307.310.314.316
326.338.371.404.406.
Notatus. 214.390.406.407.
Refellitur. 167.168.

C.

Cajetanus. 19.157.
Callimachus. 9.253.
Carthusianus. 19.

Castalio (Josephus.) 99.140.
Castalio (Sebastianus.) refellitur. 80.81.299.
Casalius. 215.
Casaubonus (Isacus) 34.35.58.59.61.69.86.
122.135.146.226.239.289.402.
Notatus. 195.
Refellitur. 294.259.309.310.
Casaubonus (Mericus.) 60.
Cassianus. 159.
Cavallerius. 23.403.
Ceremoniale Pontificum. 64.
Celsus explicatus. 35.
Chaldæus interpres. 48.53.66.69.70.75.
91.172.187.339.345.355.
Notatus. 277.
Choulius 295.
Chrysostomus. 19.113.116.176.
Ciacconus (Alfonsus.) 140.
Ciacconus (Petrus.) 237.
Cicero. 7.127.153.180.
Clarius. 77.
Notatus. 80.
Claudianus. 94.134.
Clemens Alexandrinus. 10.11.104.142.
187.
Coccejus. 67.76.84.102.190.198.277.
362.363.371.392.
Notatus. 214.389.391.
Refellitur. 54.55.85.86.101.102.103.
167.168.299.

Cælius Rhodiginus. 205.
Cælius sympoſius illuſtratus. 27.
R. Cohen de Lara. 137.138.
Colladonius notatus. 201.
Corippus. 28.63.
Cunæus. 255.
Cunradus Celtes. 262.
Curopalates ſive Georgius Codinus. 64.
Curtius. 250.
  Emendatus. 92.93.
Cyprianus notatus. 321.322.
Cyrillus. 224.296.297.

D.

DAmianus Goenſis. 254. 260.
Daniel (Franciſcus.) 200.
De Dieu. 190.193.198.
  Refellitur. 168.169.
Della Valle. 254.
Delrio. 176.
Dempſterus. 137.205.
  Notatus. 195.283.
  Refellitur. 321.322.
Dilherrus notatus. 99.
Dio. 62.99.
  Emendatus. 57. & ſeq.
Diodorus Siculus. 400.
Diogenes Laertius. 9.73.
Douza (Janus.) 200.364.

Douza (Georgius.) 254.
Druſius. 32.213.254.279.326.330.338.
345.346.392.396.403.

E.

EGnatius. 318.
Elias Levita. 36.326.394.405.
Epictetus illuſtratus. 59.60.
Eraſmus. 98.99.153.157.
Notatus. 101.
Erathoſtenes. 25.
Erpenius. 75.
Euzebius. 224.228.
Euthymius Zygabenus. 222.

F.

FAgius. 307.316.
Ferrarius (Octavius.) 9.23.58.62.132.
146.148.164.165.195.196.197.
205.403.
Refellitur. 146.148.
Feſtus. 27.135.277.
Flaccius illyricus. 305.
Florus. 121.
Explicatus. 294.195.
Forrerius. 218.
Notatus. 213.
Friſius. 165.215.
Fulgoſus. 308.
Fullerus. 219.

G.

GAtakerus. 353.360.361.363.365.
Gejerus (Martinus.) 282.193.307.
Refellitur. 39.
Georgius Phranzes. 63.
Gloſſa ordinaria. 180.
Notata. 181.
Gloſſarium vetus. 140.194.277.
Golius. 193.
Gonzalius. 199.
Grævius. 23.26.44.68.121.200.295.379.
Gregorius Nyſſenus. 51.264. notatus. 410.
Gronovius P. & F. 61.
Grotius. 40.70.91.98.153.154.157.172.
189. 239.338. 362.370. 375.
Notatus. 46.376.377.390.
Refellitur. 101.103.304.305.331.334.
335.336.340.
Gruterus. 122.
Guilhelmius. 200.
Guilhelmus Apulienſis. 63.

H.

HEgeſippus. 285.
Heinſius (Daniel.) 93. 144.145.154.
Heinſius (Nicolaus.) 93.94.
Herbertus. 208.216.
Hermeſionax Colophonius. 225.
Herodianus. 262.
Herodotus. 262.

He-

Hesiodus. 44. 89. 90.
Hesychius. 25. 81. 391. 395. 406. 407.
Hieronymus. 18. 30. 33. 48. 50. 51. 140. 218. 229. 232. 390. 395. 403. 405.
Notatus. 396.
Hilarius notatus. 410.
Hiskuni. 279.
Homerus. 89. 91. 163. 239.
Horatius. 10. 26. 194. 273. 302. 376.
Hottingerus. 221.
Huetius. 282.
Notatus. 122. 123.

I.

Ikkut. 3. 68.
Jachiades. 393. 405. 408.
Jamblichus. 227. 262.
R. Sal. Jarchi. 55. 56. 75. 326. 343.
Refellitur. 46. 47. 75. 76. 277.
R. Jischak. 188.
Johannes Antiochensis. 214. 215.
Jonathan Chaldæus paraphrastes. 133. 137. 138. 211. 212. 278. 279. 370.
Notatus. 208.
Josephus. 12. 139. 153. 284.
Notatus. 277.
Refellitur. 327. 329. 331.
Emendatus. 330.
Isa bar Ali. 221.
Isidorus. 33. 87. 174. 214. 215. 397. 401.
Iulius Capitolinus. 147.

Iunius (Franciscus.) 189.
Refellitur. 353.354.
Iunius (Hadrianus.) 225.
Notatus. 201.
Iustinus Historicus. 288.291.
Explicatus & defensus. 298. & seq.
Iustinus Martyr. 224.253.
Iuvenalis 12.50.174.
Notatus. 286.287.290.
Explicatus. 285.290.291.
Iuvencus. 157.

K.

R. David Kimchi. 33.35.36.75.92.189.
218.355.370.405.
Refellitur. 357.358.
Kirchmannus. 311.312.

L.

LAmpridius. 33.
Lazius notatus. 99.
L' Empereur. 267.
Leo Iudas. 219.
Leopardus. 45.
Leusdenius. 248.
R. Levi ben Gersom. 189.
Licetus. 140.
Lichtfotus. 115.151.183.237.
Refellitur. 152.159.160.161.
Lipsius. 132.358.

Livius. 121. 127.
Livius Andronicus. 66.
Lucianus. 10. 361.
Lucilius. 88. 182.
Lucretius. 23.
Lutherus. 219. 391. 392.
Lyranus. 19.

M.

MAcrobius. 230.
Magius. 163. 273.
Maimonides. 36. 183. 191. 192. 255. 265. 306. 307. 314.
Maldonatus. 157.
Manilius explicatus. 174. 197.
Martialis. 26. 28. 62.
Notatus. 288.
Masius. 33. 77. 256.
Refellitur. 78. 79. 81. 82. 84. 92.
Medrasch Echa. 375. 404.
Medrasch Ruth. 326.
Menasse ben Israel. 280.
Mercerus (Iohannes.) 190. 218.
Mercurialis. 237.
Minhagim rituale Germanicum. 307.
Mollerus refellitur. 352. 353. 354.
Monstreletus. 51.
Moses Gerundensis. 269. 371.
Moses Mikotzi. 184.
Munsterus. 80. 218.

Re-

Refellitur. 46. 47. 277.
Musonius. 10. 11. 103. 104.

N.

R. Nathan Iustus. 394.
Nemesianus. 66.
Nicephorus. 52.
Nicetas. 63.
Nicolaus Damascenus. 91
Nigronus. 87. 99. 100. 132. 140. 237. 402.
Notatus. 194. 396.
Nonius. 88.
Nonnus notatus. 144.

O.

OEcolampadius notatus. 224.
Olearius. 254.
Onkelos Chaldæus interpres. 218. 370.
Oppianus. 9. 29.
Origenes. 51. 116.
Notatus. 410.
Orosius. 318.
Orpheus. 223. 224. 225.
Osiander. 39. 46. 116.
Notatus. 47.
Osorius. 218.
Ovidius. 94. 100. 176. 254. 295. 301. 302. 402.
Explicatus. 27.

P.

PAlmerius. 200.
Paulus Diaconus. 63.
Perſius. 65. 149.
Petronius. 302.
Notatus. 288.
Explicatus. 35. 197.
Emendatus. 199. 200. & ſeq.
Philoſtratus. 73. 214. 402.
Pierius Valerianus. 205.
Pignorius. 366.
Piſcator. 338.
Pithæus (Petrus.) 200.
Plato. 181.
Plautus. 86. 98. 126. 127. 138. 182. 213. 364. 367.
Plinius. 29. 87. 138. 171. 195. 282. 376.
Emendatus. 228. 229.
Explicatus. 196.
Plutarchus. 8. 9. 10. 223. 229. 353.
Notatus. 273. 274.
Pocokius. 220.
Politianus. 24.
Pollux. 26. 45. 193. 391. 406.
Proclus Diodochus. 225.
Procopius. 62.
Propertius. 23.
Prudentius. 303.

R.

RÆvardus. 132.
Rogerius. 254.
Rubenius (Albertus.) 62. 99. 132. 145. 146. 147. 205. 214.
Refellitur. 196. 197.
Rubenius (Philippus) 187.
Ruffinus. 330.

S.

SAadias. 390. 405.
Salmasius. 9. 10. 11. 27. 28. 46. 49. 53. 59. 60. 62. 69. 99. 135. 137. 146. 150. 186. 194. 205. 214. 226. 227.
Refellitur. 152. ad 158. 399. 400. 401.
Samaritanus interpres. 48. 77.
Notatus. 78.
Samhaschari. 221.
Sanctius. 402.
Scaliger (Julius Cæsar.) 188.
Scaliger (Josephus.) 199. 210.
Sceringhamius. 279.
Scindlerus. 218.
Schmidius. 289.
Scholiastes Horatii. 194.
Juvenalis. 10. 175. 285.
Scholia Græca. 395.
Scultetus. 116.
Seldenus. 184. 209. 210. 218. 221. 231. 280. 314. 316. 324. 330. 338. 346.

Seneca. 25.37.38.
Explicatus. 194.195.
Septuaginta interpretes. 48.50.51.52.53. 74.80. 87. 90. 91.109.110.133. 138.139.143.153.164.188.207. 208.239.345.349.350.
Notati. 67.170.296.356.
Explicati. 32.33.171.229.230.
Serarius. 187.338.
Servius. 10.
Sidonius Apollinaris. 25.26.145.
Silius Italicus. 262.
Spartianus. 226.
Solinus. 253.
Sophocles. 9.
Statius. 209.211.
Statius (Achilles) 137.
Stephanus. 395.
Stobæus. 103.
Strabo. 239.262.
Illustratus. 226.227.
Notatus. 288.291.
Stukkius notatus. 269.
Suetonius. 10.121.136.200.288.
Illustratus. 34.308.309.
Suidas. 73.142.223.391.395.406.
Symmachus. 48.170.218.390.
Syrus interpres. 48.53.155.
Notatus. 277.

T.

TAcitus. 93. 239. 381.
Terentianus Maurus. 66.
Terentius. 177. 179. 181. 303. 304.
Tertullianus. 10. 11. 28. 65. 73. 144. 152. 186. 187. 281. 282. 302. 309. 397. 401.
Notatus. 373.
Thalmud. 183. 289.
Berachoth. 254. 255. 260.
Cetuboth. 184.
Cholin. 32. 55.
Jebamoth. 139. 159. 160. 255. 314.
Joma. 278. 279.
Kelim. 138.
Kidduſchim. 183.
Middoth. 267.
Mikvaoth. 175.
Nidda. 138.
Oholoth. 138.
Peſachim. 55.
Sanhedrin. 394.
Schabbath. 45. 175. 190. 191. 289.
Schebuoth. 394.
Sebachim. 265.
Semachoth. 308.
Targum. 31. 57.
Hieroſolymitanum. 133. 137. 138.
Theocritus. 3.
Theodoretus. 51. 83. 268.

Theodotion. 31. 170. 391. 392. 395. 403.
Thesaurus linguæ græcæ. 390.
Thomas. 157.
Tibullus. 176. 179. 182. 309. 366.
Tiraquellus. 205.
Tirinus. 338.
Toletus. 19.
Torrentius. 99. 100. 122.
Tostatus. 19. 238.
Trebellius Pollio. 28. 318.
Illustratus. 147.
Tremellius. 218.
Turnebus. 132.

V.

VAlerius Flaccus. 94. 253.
Varro. 69.
Vatablus. 77. 91. 101. 189. 218. 354. 370.
Refellitur. 46. 47. 80. 81. 103. 166. 167. 168. 356.
Vettius Valens Antiochenus. 231.
Victorius. 132.
Villalpandus. 237.
Vincentius Regius. 157.
Vir doctus. 379.
Virgilius. 26. 65. 66. 67. 105. 127. 149. 176.
Vitruvius. 229.
Vopiscus. 49.
Vorstius (Johannes.) 108.

Vossius (Gerhardus Johannes.) 209.
Vulgatus interpres. 74. 80. 87. 90. 133. 139. 140. 143. 149. 155. 170. 188. 208. 211. 212. 218. 345. 391.
Notatus. 67. 101. 116. 207. 356.
Explicatus. 33. & seq.
Ursinus (Fulvius.) 237.

W.

Wolfius. 59.

X.

Xenophon. 8. 24. 398.

Z.

Zegerus. 102.
Zonoras. 57. 63.

INDEX
VERBORUM ET RERUM
MEMORABILIUM.

A.

AAron male cum calceis exhibetur in tabulis quibusdam. 272.
Abruptio corrigiæ inter calceandum malum omen olim habitum. 179. 180.
Accumbendi mos apud veteres. 236. 237.
Apud Hebræos non vetustus. 238. *& seq.*
More posterioris ævi Christus accubuit. 248. *& seq.*
Adam an primus calceorum opifex. 4. *& seq.*
Pelliceis tunicis à Deo indutus. 5. 6.
Ægyptii olim calceis usi. 16. & quidem papyraceis. 22.
Ægyptiorum ritus vetustissimus. 232.
Ægyptii monachi sandalia veluti à Domino permissa gestabant, calceos veluti interdictos recusabant. 159.
Ænigma elegans de caliga. 27.
Ænei clavi caligarum. 87. 88. Calcei Empedoclis. 73. Ocreæ ab antiquis in bello usitatæ. 89. 90.
Æs in Carmelo monte. 81. Nullum in Libano vel Antilibano. 82. *& seq.*
Æsculapii nummi. 164.
Æthiopes Christiani non nisi nudis pedibus

templa intrant. 254. 260.
Ætoli uno pede in bellis calceati. 165.
Agesilaus jam senex nudis pedibus incessit. 8.
Albanorum Reges rubros calceos gestarunt. 57.
Albi calcei mulierum proprii. 49.
Allath & Alozza Arabum idola. 220. 201. Prius venerem posterius Luciferum fuisse conjicitur. 222.
Almanah cur calendarium? 220.
Aluta. 26.
Amoris effigies insignis. 319.
Ἀναξυρίδες. 390. 391.
אנפלאות *impilia*. 279. 280.
Antigone nudis pedibus incedit. 9.
Antilibanus nullas æris aut ferri fodinis abundavit. 82.
Antonini imperatoris calcei lintei. 22.
Apollinis Pythii soleæ expressæ. 165.
Apostolorum sandalia. 64. 65. Usum calceorum iis Christus non interdixit. 155. *& seq.* cur δύο ὑποδήματα vetet? 154. Eorum pedes lavit. 251.
Aquilæ aureæ calceis imperatorum intertextæ. 52.
Arabes lunulas aureas è collo pendentes gestarunt. 209.
Arcus Constantini caligas exhibet. 140.
Armillarum magnus in Oriente usus. 192.
Ἀγραναῖδες calcei ex pellibus agninis. 26. 45.

Ascheris

Ascheris portio vino oleo & tritico fœcundissima. 74. Non ære & ferro. 81. 82. An Asscheritarum urbes fuerint munitæ. 75. *& seq.* homines bello strenui. 86.
Asinum à Judæis cultum gentiles finxerunt. 381.
אח non *discalceatum*, sed *sensim pedetentim notat.* 277. *Atta.* *ibid.*
Athletæ cursores sine calceis. 103. 104.
Augustus pace terra marique parta Janum clausit. 121. 122. Ejus reliquias cur pedibus nudis primores equestris ordinis legerint. 308. *& seq.* Nummi. 122.
Aurati calcei. 59.
Aurea calceorum vincula. 174.
M. Aurelii nummi. 148. Statua palliata. 165.
Aurelianus calceos mulleos, cereos, albos, hederaceos viris tulit & mulieribus reliquit. 49.

B.

בית המקד conclave sacerdotum, in quo hyberno tempore pavimento calefacto inambulabant. 264.
בסדי camelus junior. 170.
בטנית ventrale opificum. 32.
בצק *intumescere*, non *excalceare.* 369. *& seq.*
Berenice regina nudipes vota solvit. 284. *& seq.*
Bovis corium ad conficiendos calceos. 44.

Braccæ apud Hebræos, Græcos, Romanos ignotæ. 402. Gallorum gestamen. *ibid.* Persarum item & Thracum. *ibid.* & 403.
Bullæ aureæ. 211.
ברסיא & βύρσευς coriarius. 30. 40.

C.

CAlcare pedibus olim symbolum dominii & potestatis. 317. In subjectionis signum hostium cervices calcatæ. 318.
Calceari idem quod vinciri. 10. 11.
Calcei vox unde derivata? 135. Ex prima origine pro solea. *ibid.*
Calceorum origo. 2. & *seq.* Usus antiquissimus. 7. 8. Veteres tamen non semper, uti nos hodie, calceati. 8. & *seq.*
Calcei olim ex varia materia confecti. 21. Ex pellibus & corio crudo primum. 24. Ex aluta. 26. Ex bovis corio. 44. Ex equino. 25. 44. Ex agninis pellibus. 26. Caprinis. 25. 26. Hædinis. 28. 45. Hyenæ. 29. Parthicis. 28.
Calcei ærei. 23. 74. Aurati. 59. Ferrei. 73. Juncei. 258. Lanei. 279. 280. Linei. 262. Lignei. 22. Lintei. *ibid.* Papyracei. 22. 262. Spartei. 22. Straminei. 259. Taxei. 39. 45. 46.
Calceorum colores varii. 49. Albi. *ibid.* Cerei. *ibid.* Coccinei. 55. & *seq.* Cærulei. 51. 52. Hederacei. 49. Mullei. *ibid.* Nigri. 26. 49. 50. Purpurei. 59. & *seq.* Rubri. 57.

Calceorum varia & multiplex forma. 132. Apud Hebræos incerta. 133.
Calcei mulierum alti. 188. Patritiorum Lunati. 36. 205. Non vero mulierum Hebræarum. 206. 207. Viliſſimum veſtimenti genus. 38. Immundiſſima pedum tutela. 186. In iis tamen magnus luxus præcipue fœminarum. 187.
Calcei pedum vincula & impedimenta olim habita. 103. 104. Cum toga ſumpti 152. à Templum ingredientibus depoſiti. 253. *& ſeq.* iſtius ritis ratio. 256.
Calceos in pedibus habere Hebræi juſſi, cum Paſcha comederent in Ægypto. 235. Variæ de ratione iſtius præcepti ſententiæ. 235. *& ſeq.* Vera ratio. 244. *& ſeq.* in Ægypto id tantum imperatum. 247. 248.
Calceis quidam ſacerdotes carent. 262. Etiam ſacerdotes Hebræorum. 263. *& ſeq.*
Calceos exuære ſignum humilitatis. 276. exuebantur diebus jejunii. 283. 287. In die expiationis 278. *& ſeq.* In Tiſcha Be-Af. 281. Cum vota ſolverentur. 284. *& ſeq.* In luctu publico. 294. *& ſeq.* In luctu mortuorum. 305. *& ſeq.* Inter cænandum. 236. Cum levir ducere recuſabat defuncti fratris viduam. 160. 315. *& ſeq* In emptionibus & venditionibus. 325. *& ſeq.*

Calceos non habere signum paupertatis. 16. Iis captivi spoliati. 16. 17. 297. pedes in bello muniti. 98.
Calceo cædere contemptus & ludibrii res olim habita. 353. Etiam calceum in aliquem projicere. 352. Quod tamen apud Arabes fuit fidei servandæ signum. 358. Et olim pertinacis propositi cum in hosticum solum projicerentur. 359. 360.
Calceos portare servorum ministerium. 362. 364. Extergere vilissimorum munus. 365. 366.
Calcei Empedocles Philosophi. 72. 73. Iulii Cæsaris. 57. Mosis. 257. Hebræorum in deserto. 372. *& seq.* Trium virorum in ardenti fornace. 388. *& seq.*
Calendarium cur *Almanah.* 220.
Caliga militare calceamentum. 99. 139. Unde dicta? 27. Ex crepidarum sive solearum genere. 139. 140. 146. Ejus figura expressa. 140. Clavata. 86. *& seq.* 105. Ad crus medium extensa. 144. De ea elegans ænigma. 27.
Caligatus militis epitheton. 100.
Camelus animal libidinosum. 171. Cum eo Israelitæ comparantur. 172. 173.
Campagus imperatorum calceamentum. 145. 146. Ad crus habenas extendit opere reticulato. 147. 148. Ejus figura expressa. 165.

Ca-

Caprinæ pellis in vestibus usus 23. In calceis. 25. 26.
Captivi calceis spoliati. 16. 17. 297.
Carbatinæ ex coriis bubulis. 24. 44.
כרבלה tiara. 405. & seq.
Carmelus mons metalli venis abundavit. 81. 82.
Cato nudis pedibus incessit. 10.
Catulo res divina Genitæ Manæ fiebat. 229.
כבלים catenulæ aureæ, ornamenta pedum. 191.
Cerei calcei. 49.
Cessio juris per calcei solutionem significata. 319.
Cænaturi soleas deponebant. 181. 236.
Cærulei calcei Regum Gallorum. 51. 52.
Michaelis Paleologi Soceri. *ibid.*
Chirothecæ jactus in urbem obsessam signum pertinacis propositi de urbe capienda. 359.
Ejus in contractibus usus. 339.
Christus calceatus incessit in his terris. 18. & seq. Nudis pedibus accubuit. 249. Discalceatus Pascha comedit. 248. Lavit Apostolorum pedes. 251.
Christiani veteres nudipedes incesserunt. 10.
Æthiopes templa non nisi nudis pedibus intrant. 254. 260.
Ciceronis vel Oratoris statua togata. 164.
Cirus signum humilis animi coram Deo. 276.

Clavi caligarum ærei vel ferrei. 87 88.
Coccineus color תולע. 55. Calcei Coccinei. 62. Olim in summo honore. 57. Magnatum Hebræorum. 66. Mulierum nobiliorum in Oriente. *ibid.*
Columma Trajani caligas exhibet. 140.
Commodi nummi. 147.
Compes pro periscelide. 196. Aureas vel argenteas mulieres gestarunt in Oriente, Græcia, Roma. 194. *& seq.*
Conchæ cum cochleis crescunt. 376.
Contractus apud Hebræos non sine ceremonia sive solemni formula fiebant. 324. In iis calcei antiquissimus usus. 325. *& seq.*
Recentior sudarii. 326.
Coriarii urbium ambitu excluſi. 41.
Corium ad calceos adhibitum. 24. *& seq.* Ex variorum animalium pellibus. 24. 44. Rubrum. 55.
Corrigiæ Hebræum & Græcum nomen elegans. 164. 171. In soleis necessariæ. 163. vetustissimus usus. 164. Aureæ. 174. Ex corio. *ibid.* Varia ratione pedibus circumvolutæ. 164. 165. Pro re vili & nullius pretii habitæ. 175. Earum abruptio malum omen. 180. Solvere servorum vilissimum ministerium. 181. *& seq.*
Cothurni purpurei. 65. *& seq.* Vinclis ad crus pertingentibus religati. 145. Iis diebus

diebus festis Pontifex Hebræorum sacra non fecit. 273. 274.
Crepidæ. 146. Cum tintinnabulis habent Hispanæ mulieres dum saltant. 189.
Cretensium pueri nudis pedibus venatum iverunt. 9.
פ parare, præparare, etiam firmare stabilire notat. 108. & seq.
Cursores olim excalceati. 103.
Cynici Philosophi nudis pedibus iverunt. 9.
Cyrenaicæ item virgines. ibid.

D.

Δαίμων pro Sole. 230.
Das Belgarum vocabulum unde? 45.
Deus an primus calceorum opifex. 4. & seq. Non facit miracula sine necessitate. 378. Hebræis in deserto de calceis prospexit. 384. & seq. Vestes & calceos trium virorum in fornace ardenti servavit illæsos. 389. & seq.
Die expiationis nudipedes incedunt Hebræi. 278. & seq. Etiam diebus jejunii. 286. 287.
Dircis soleæ expressæ. 165.
Διφθέρα vestimenti genus ex caprarum pellibus. 230.
Domitiani nummi. 148.
Druidæ nudis pedibus sacra fecerunt. 262.

E.

Εἰρήνη Hebræorum more *reconciliationem, veniam delictorum* notat. 125.
Elias Propheta sine cibo & potu quadraginta dierum viam conficit. 379.
Ἐμβολίσματα. 31.
Empedocles æneo calceo usus. 72. Montis Ætnei flammis abreptus & consumptus. 73.
Episcopalis habitus insignia calcei rubri. 65.
Equinum corium ad calceos conficiendos adhibitum. 25. 44.
Essenі calceos non mutarunt nisi detriti essent. 153.
Ἑτοιμασία *præparatio, promptitudo.* 101. 102. Non tamen apud Paulium 103. *& seq.* Pro *basi, fundamento* apud LXX. interpretes. 109. 110. Pariter apud Paulum. 111. Solidam & firmam cognitionem Euangelii notat. 113.
Εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης. 114.
Εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις quid? 119.
Expiationis die nudis pedibus incedunt Hebræi, vel laneis aut lineis soccis induti. 278. *& seq.*
Extergere calceos vilissimum ministerium habitum. 366. 367.

F.

FAcies de exercitu eleganter usurpatur. 93.

Fasciæ pediles Orientalibus non usitatæ. 69. Iis Romani sero usi. 69.
Crurales & fœminales non sumpsit Semiramis, ut voluit Salmasius. 399. & seq.
Faustinæ nummi. 295.
Feminalibus Hebræi, Græci & Romani sero usi. 402.
Ferrei calcei. 73. Caligarum clavi. 87. 88.
Fluvium cum calceis transire pro sicco pede. 15. 16.

G.

GAd idolum veterum Sol. 217. 219.
Gallia Narbonensis braccata. 402.
Galliæ Regum calcei pompatici. 51.
גר proselytus. 208.
Genita Mana quænam Dea. 228. Catulores divina fiebat. 229.
Gentes olim à Deo rejectæ. 123. Per Messiam iterum vocandæ. 124.
Gibeonitarum soleæ. 31. Ad indicium vetustatis pittaciis consutæ. 33. & seq.
גבע compes. 190.
עכסים an calcei. 187. Multa & diversa istius vocis interpretamenta. 188. 189. Ornamentum pedum simile compedi. 190. 191. In Oriente, Græcia, Roma, à mulieribus gestatum. 192. & seq.
עקים torques. 211.
Gothorum perones ex equino corio. 24. & seq.

Græci

Græci non gestarunt braccas. 402.

H.

HAdriani nummi. 147.
Hebraismi multi in N. Test. 107. & seq. Hebræi veteres non incesserunt nudipedes. 11. & seq. In Ægypto non fuerunt discalceati. 12. 242. Ob varias rationes olim calceos deposuerunt. 13. 18. Soleis sunt usi 133. 136. Quæ ex corio fuerunt. 22. 29. Et vili pretio constiterunt. 37. 38. Tibiatim calcearunt. 144. 145. Magnates in festis solemnioribus calceos coccineos gestarunt. 66. 69. In herba jacentes cibum sumpserunt. 238. Sero accubuerunt. 340. In deserto per quadraginta annos calcei ipsis non defuerunt. 14. 243. 373. & seq. Pedes non intumuerunt. 372. Non gestarunt braccas. 402. Olim à Deo in hæreditatem electi. 123.
Hederacei calcei. 49.
Hedina pellis in calceis. 28. 45.
Henrici Magni imago in ærario Sandionysiano. 51. 52.
Hercules in nummis Æsculapii. 164.
Hernici Italiæ populi uno pede in bellis nudi. 205.
Heroes prisci pellibus vestiti. 22. In conviviis sederunt. 239.
Hispanæ mulieres crepidas cum tintinnabulis

Iis habeat dum saltant. 189.
Hispanorum calcei spartei. 22.
Hospitum pedes olim loti. 141.
Hostium cervices in subjectionis signum calcatæ. 318.
Hyacinthinus color. 50. 53.
Hyenæ pellis canibus metum incutit 29. Ex ea calcei. *ibid.*
Hysginus color. 53.

I.

Iani templum ab Augusto clausum. 121. 122.
Ichneusa Sardiniæ nomen. 124.
Jejunia varia Judæorum. 283. 286. In Tischa Be Af. 281. Non Sabbato. 287. 288. Incesserunt in jejuniis nudipedes. 283. 287.
Imperii insignia in calceis expressa. 52.
Imperatorum Constantinopolitanorum calcei rubri sive purpurei. 62. 63. Aureis aquilis intertexti. 52.
Impilia socci ex panno. 279. 280.
Indorum calcei lignei. 22.
Inscriptiones antiquæ. 61. 122.
Johannes Baptista se dignum negat solvere corrigiam calceorum Christi. 184. Portare Christi calceos. 365.
Josua cur jussus calceos exuere. 256.
Judæi tunicis usi. 153. Ante Synagogæ fores vel purgant vel exuunt calceos. 255.
Judithæ sandalia. 70. 165.

Julii Cæsaris calceatus. 57.
Juncei calcei. 158.

K.

קמיץ. 36.
Καταπεπτιλμένος. 32. 33.
Κέντητα ὑποδήματα. 59. 60.
Κίδαρις. 406.
Κονίποδες calceamenti genus apud Atticos. 142.
Κνημῖδες. 89. 90.
Κυβατία. 406 & seq.

L.

L. & R. sæpe permutantur. 395.
לבא *lacca* color ruber corii. 53. 55.
Lanei calcei vel socci. 279. 280.
Lavare pedes peregre advenientibus primum olim hospitalitatis officium. 141.
Apostolorum pedes lavit Christus. 251.
Saterdotes in atrio pedes lavarunt. 266.
לבוש vestimentum interius. 408.
Levir mortui fratris uxorem ducere tenebatur apud Hebræos si sine liberis obiisset. 313. 314. si recusaret calceus extrahebatur. 160. 315. Ratio istius ritus. 317. & seq.
Libanus mons nullas æris vel ferri fodinis nobilis. 82. 83.
Lignei calcei & lintei. 22.
Lorum pro corrigia. 174. 175.

Luci-

Lucifer ab Arabibus olim cultus & Alozza dictus. 222. 223.
Lucillæ nummi. 295.
Luctus variis signis proditus. 293. Hebræi incesserunt nudipedes in luctu publico. 294. & seq. etiam in luctu mortui. 305. & seq.
Luna Hebræis יר dicta. 219. Arabibus *Menath.* 222. Græcis Μήνη. 223. & seq. Roegianis *Mana.* 228. Belgis *Mane.* 220. Chaldæis סהר. 208. Alia terra à Philosophis olim habita. 223. 224. Ejus sors τύχη. 230. 231. Cultus in Oriente vetustissimus. 210. 222. Per Lunas anni & menses numerati. 219. 220.
Lunata pellis pro calceo Senatorio. 26.
Lunula insigne calcei Patritiorum. 205. Non mulierum Hebræarum. 206. 207. Colli ornamentum apud Midianitas, Arabes, Turcas. 209. & seq. Lunæ corniculantis specie. 213. & seq. Lunulas cur Muhammedani templorum fastigiis imponant. 210. 215.
Luxus in calceis olim magnus præcipue fæminarum. 187.
Lycurgus Rhetor nudis pedibus incessit. 9.

M.

יסוד Basis, fundamentum. 109.
Magnates Hebræorũ calceis coccineis usi. 66.

Mana

Mana qualis Dea. 228. Res divina catulo fiebat. 229.
Manacus idem quod lunaris. *ibid.*
Mane Belgis Luna. 220.
מנעול pessulus. 76, 136.
Maroquin du levant quale corium. 56.
מרקע. 31.
משלית ventrale opificum. 32.
Matrimonium molestum per calceum expressum. 316. In eadem familia apud Hebræos contrahebantur. 343.
Menath Arabum idolum Luna. 220. *& seq.*
מני idolum veterum ab interpretibus non intellectum 217. 218. Lunam esse prolixe ostenditur. 219. *& seq.*
Meretricum pedes nudi & discalceati. 301. 302. Vini avidæ meretrices. 303. 304.
משרתי verbum obscurum. 166. variæ interpretum sententiæ. *ibid. & seq.* Nova expositio nostra. 170. *& seq.* 300.
Μήν Græcis mensis. 220.
Μηναγυρτάω. 228.
Μήνη Luna. 223.
Μηνίσκος Lunula. 228.
Μῆνος ἱερὸν in Asia mimore. 226. *& seq.*
Midianitæ lunulas aureas è collo pendentes gestarunt. 209.
Milites olim caligati. 98. *& seq.* Christianum militem calceatum vult Paulus. 97. *& seq.*
מנעל non est pessulus vel sera. 75. 76. Neque

que compes. 77. 78. Sed calceus 80. Vel potius ocreæ. 89.
Miraculum in Elia factum. 379. sine necessitate non facit Deus. 378. Nullum miraculum in calceis Hebræorum quasi per annos quadraginta non fuissent detriti, aut cum infantum & adolescentum pedibus creviſſent. 380. *& seq.* Singulare miraculum quo Deus in ardenti fornace trium virorum & vestes & calceos illæsos servavit. 378. *& seq.*
Molocho liberos immolarunt parentes. 173.
Monachi Ægyptii sandalia veluti à Domino permissa gestabant, calceos veluti interdictos recusabant. 159. 160.
Moses calceatus. 14. Calceos solvere cur jussus. 256. De ejus calceis lepida commenta. 257. *& seq.*
Muhammedani cur templorum fastigiis lunulas imponant. 210. 215.
Mullei Regum Albanorum & Romanorum calcei. 57. Triumphantium. 61. 62. mulierum. 65. Color rubeus. 61.
Mulierum calcei albi, mullei, cerei, hederacei, nunquam nigri. 49. 50. 65. Purpurei. *ibid.* Alti ad magnitudinem staturæ corporis conciliandam. 188. Non lunati. 206. *& seq.*
Mulieres in Oriente, Græcia, Roma periscelides gestarunt. 193.

Musæus

Musæus Lunæ filius. 224. Genus dedit sacerdotibus Eleusiniis. 125.

N.

נעל proprie solea. 136. & seq.
נשא aliquando *detrahere*. 177. 179.
Nero nudis pedibus incessit. 10. Ejus nummi. 122.
Nigri calcei Senatorum. 26. Nunquam mulierum. 49. 50.
Nudipedes incesserunt olim viri clarissimi apud Græcos & Romanos. 8. Spartanorum juvenes, Cynici Philosophi, Pythagoræi Cretensium pueri, virgines. 9. Primi Christiani. 10. Cursores, tabellarii, athletæ. 103. 104.
Nudipedes templa intrarunt variæ gentes. 253. Hebræi veteres. 254. Instituti ratio. 256.
Nudipedes sacrificarunt multi sacerdotes gentilium. 262. Etiam Hebræorum. 263. & seq. Istius ritus ratio. 268. & seq.
Nudipedes incesserunt Hebræi ut humilis animi indicium coram Deo darent. 276. In die expiationis. 278. & seq. In Tischa Be Af. 281. Cum vota solverent. 284. Diebus jejunii, sed non Sabbato. 286. & seq. Etiam Christiani in publicis supplicationibus. 282.
Nudipedes incesserunt Hebræi in luctu publico.

blico. 294. Etiam virgines Veſtales. 295. Ob luctun mortui. 305. Etiam hodie Iudæi. 307.
Nudipedalia quale feſtum apud veteres. 281. 282. Eorum origo. 283.
Nummi Auguſti & Neronis. 122. Hadriani & Commodi. 147. Domitiani, M. Aurelii & Plautillæ. 148. Æſculapii. 164. Lucillæ & Fauſtinæ. 295.

O.

O Creæ æreæ vel ferreæ. 89.90.
Ὀλολύζειν. 171.

P.

פעמים pro pedibus. 67.
Papyracei calcei. 22.262.
Parthorum Regis ſtatua pellita & braccata. 23. 403.
Paſcha calceati comedere juſſi Hebræi. 235. Rationes variæ iſtius præcepti. 235. & ſeq. Vera. 244. & ſeq. Ad primum Paſcha in Ægypto celebratum tantum pertinuit. 247. & ſeq.
Patritiorum calcei lunati. 26. 205.
Pax Auguſti temporibus per orbem Romanum. 121. 122. Inter Iudæos & gentes per Meſſiam facta. 123. Latinis ſcriptoribus reconciliationem, veniam delictorum ſignificat. 126. 127. Hanc facere Meſsiæ beneficium. 128. 129.

Pedes à calceis commendantur. 67. 68. Excalceati agiles. 103. 104. Lavare primum hospitalitatis officium. 141. Apostolorum Christus lavit. 251. In atrio sacerdotes lavarunt. 266. In conviviis uncti. 250.
Pedibus calcare signum dominii & potestatis. 317. 318.
Pedibus nudis templa intrarunt variæ gentes. 253. Hebræi veteres. 254. *& seq.* Sacra fecerunt varii sacerdotes. 262. Etiam Hebræorum. 263. *& seq.* Observarunt jejunia. 283. *& seq.*
Pelles crudæ conficiendis calceis primum adhibitæ. 24. Venetæ. 28. Coccineæ ad structuram Tabernaculi. 54.
Pellis pro calceo. 26. 27.
Pelliceis vestibus Adam indutus. 4. *& seq.* 24. Patriarcharum & Prophetarum habitus. 29. 30. Priscorum Herorum. 22. Multarum gentium. *ibid.* Senatorum Romanorum. *ibid.*
πέλμα. 32.
περικνημῖδες. 404.
Periscelides Hebraicè עכסים. 190. Ornamenta aurea crurum mullebrium in Oriente, Græcia, Roma. 193. *& seq.*
Perystilii vox Petronio reddita. 199.
Perones resticorum gestamen è crudo corio. 26.
Persæ braccas gestarunt. 402. פטש

שוש calceus. 402. & seq.
פרוכת. 36.
Petri Apostoli sandalia. 20.
Phęcasia Philosophorum coriacea. 25. Vili pretio constiterunt. 37. 38.
Phennesia & Proconnesia metalla. 84.
Philosophi Cynici & Pythagorei nudis pedibus iverunt. 9.
Phocion nudis pedibus incessit. ibid.
πίλος. 68.
Pittacium pro brevi epistola. 33. Pro scedula è membrana excisa. 34. Frusto corii. 35.
Plautillæ nummi. 148.
Pontifex Hebræorum male cum calceis pingitur. 272. Diebus festis non fecit sacra Καθόδιας. 273. 274. Romanorum Pontificum rubea Sandalia. 64.
Portare calceos servorum ministerium. 362. 364.
Punicei calcei. 62.
Purpurei calcei imperatorum Constantinopolitanorum. 62. & seq. Mulierum & Dearum. 65. 66. Magnatum Hebræorum & virginum nobiliorum in Oriente. 67.
Pythagorei nudis pedibus iverunt. 9.

R.

Ῥάκος unde? 131.

Redemptionis jus. 341. Ex eo viduo ducenda si quæ esset. 242. 343.
Reticulatus campagus. 147. 148.
Romani in conviviis soleas deposuerunt. 236. & seq. Non incesserunt nudis pedibus in funeribus. 308. & seq. Non gestarunt braccas. 402.
Rubri calcei Albanorum Regum. 57. Bulgaria imperii insignia. 64. Episcopalis item habitus. 65. Imperatorum Constantinopolitanorum. 62. Mulierum. 64. Pontificum Romanorum. ibid.
Rustici senes apud Græcos pelliti. 95. Romani perones gestarunt ex crudo corio. 26.

S.

SAbbata non observant Iudæi nudo pede. 286. Neque jejunio. 287. 288.
Saccus in luctu sumptus. 276.
Sacerdotes gentilium aliquando calceati, aliquando discalceati sacrificarunt. 262. Hebræorum non nisi nudipedes. 263. & seq. Quod ob sanctitatem loci ab iis requirebatur. 268. Hyberno tempore pavimento calefacto inambulabant. 267. Eorum morbi præcipue oriebantur, quod nudis pedibus in pavimento starent. 268. Pedes in atrio lavarunt. 266. 208.
סהרא Caldæis Luna.
שהרתים lunulæ. 207. Non calceorum sed colli

colli ornamenta. 211. Lunæ corniculantis ſpecie. 213.
שלום pro venia delictorum, reconciliat. 126.
Σάνδαλα piſces plani. 134. 138. Inde Hebræum סנדל. *ibid.*
Σανδάλιον ſolea. 134. Apud Hebræos סנדל vel סנדלא. 137. 139. Σάνδαλια & ὑποδήματα non diſtinguntur apud LXX. interpretes & Novi Fœderis ſcriptores. 139. 150. *& ſeq.* Apoſtolorum. 64. 65. Ægyptiorum Monachorum. 159. 160. Judithæ. 70. 165. 166. Petri. 20. Pontificum Romanorum. 64.
Sandaligeruli & ſandaligerulæ ſervi & ancillæ. 364.
Sandaliotis Sardinia dicta. 134.
סרבלין non femoralia vel tibialia, ſed σαράβαρα. 394. 395.
Sarabara veſtis fluxa & talaris. 397. *& ſeq.* Orientalium populorum habitus. *ibid.*
סרקה coccinum. 55. 56.
Sarepta unde dicta? 84.
Saſgon color hyſginus juxta Bochartum. 48. 49. 53.
Scaligeri lepidum dicterium in Italicas mulieres. 188.
Schoots vel. 32.
שלח *mittere, projicere.* 356.
Senatores Romani pelliti. 22. Olim nudis pedibus inceſſerunt. 10. Calceos nigros geſta-

ſtarunt. 26. 50. Senatoris Romani dictum nobile. 316.
שרוך corrigia. 164.
Servi nudis pedibus inceſſerunt. 10. Calceos Dominorum ſolvebant. 181. Portabant. 362. 364. Extergebant. 366. Eorum oppigneratio apud Hebræos. 182.
Simonis coriarii domus cur juxta mare. 40. 41.
Σιρώνες. 208.
Socrates nudipes inceſsit. 9.
Soccus auro ſubpactus. 86. Ex lana. 279. 280.
Sol Gad. 319. Δαίμων. 230.
Solea calceamenti genus, quod plantam pedis tantum tegebat. 135. 163. Corrigiis pedi ad ſtringebatur. *ibid.* Antiquiſsimum calceamenti genus. 133. 134. Ab omni ævo ex corio. 33. Vili pretio conſtiterunt. 37. 38. Rubræ. 65. 149. Pallio & tunicæ proprię. 153. Gibeonitarum. 31. *& ſeq.* Pythei Apollinis & Dircis expreſsæ. 165. A cenaturis depoſitæ. 236. 237. Ex iis natus mos hoſpitum pedes lavandi. 141.
Solvere calceamenta ſervitutis ſignum. 181. *& ſeq.* Ceſsionis de jure ſymbolum. 319.
Spartei calcei. 22.
Statuæ antiquæ. 164. 215. In fronte domus Baſsianorum. 164. Herculis. *ibid.*

Cice-

Ciceronis vel Oratoris. *ibid.* In atrio Palatii Veneti. *ibid.* M. Aurelii palliata. 165.
Stola Medica 398. Semiramidis. 399. 400.
Straminei calcei. 259.
Sudarii in contractibus usus apud Judæos. 326.
שולל pro spoliato, vel experte consilii. 296. 297.
Sutor primus quis fuerit? 4. *& seq.*

T.

TAbellarii olim excalceati. 103.
תחש multi erronee animal volunt. 45. *& seq.* Coloris nomen. 48. *& seq.* Et quidem quem *Lacca* Talmudici vocant. 53. *& seq.*
Taxus quale animal. 45. Nunquam ex ejus pellibus facti calcei. 47.
טלאי. 21. טלאורת. 143.
תלא אילן quale animal? 45.
Templa cum calceis intrare apud varias gentes nefas. 253. Etiam apud Hebræos. 254. *& seq.* Istius ritus ratio. 256. *& seq.* cur lunulas templorum fastigiis Muhammedani imponant. 210. 215.
Tentipellium. 27.
Thraces braccas gestarunt. 402.
Tiara Orientalium populorum capitis tegmen. 405. *& seq.*
Tibiatim calcearunt Judæi. 144. *& seq.*

Toga cum calceis sumpta. 152.
Triumphantum calcei mullei. 61. 62.
Triumphi species inhumana. 318.
Τροχάδες cursorum calcei. 25. 45.
Tunicis Judæi usi. 153. Mutatorias in itineribus habueruut. 154.
Turcarum calcei. 207. 208. 404. Lunulas aureas è collo pendentes gestant. 209. Moscheas non intrant nisi calceos exuerint. 254.
Τύχη Pro Luna. 230.
Tyriæ virgines purpureos cothuruos gestarunt. 76.
Tzangæ ex pellibus Parthicis. 28. Imperatorum gestamen. 65. Aureis aquilis insignes. 52. Earum figura exprssa. 165.

V.

VEnetæ mulieres altis calceis utuntur. 188.
Venetiis optimæ pelles conficiendis calceis. 28.
Venus ab Arabibes olim culta, & Allath. dicta. 222.
Vestium prima origo. 5. 6. sine iis incedere quam inhonestum. 6. 7. Ex pellibus olim fuerunt. 22. 23. Patriarcharum & Prophetarum vestes pelliceæ. 29. 30. Sacerdotum Hebræorum quales? 263. 264.
Viatores calceos sumebant. 235. 245.

Vidua olim ducenda fuit à fratre mariti defuncti, si sine liberis obiisset. 313.314. Leviro calceum extrahebat, qui nuptias recusabat. 160.315. Ex jure redemptionis à proximo agnato ducebantur. 342. 343.

Vincula pro soleis. 137. 163. Adrea pro Periscelidibus. 174. 197. Vincla demere, vinclis pedem exuere, vinclis crura resolvera pro calceos sive soleas extrahere. 176.

Virgines olim nudis pedibus aliquando incesserunt. 9. Vestales urbe à Gallis capta. 294. In Oriente nobiliores calceis coccineis usæ. 66.67.

Vota nudipes solvit Berenice. 184. & seq.

Ὠκύποδος quis color? 50.

Ὑποδέσις. 58.

Ὑπόδημα de soleis primitus dictum, pro calceo cavo sumitur. 135. Non tamen perpetuo. 138. 139. Nullum inter ὑποδήματα & σανδάλια discrimen apud LXX. interpretes & Novi Fœderis scriptoris. 150. & seq.

Uxoris cum calceo eomparatio. 316.

X.

χαλκολίβανον non est æs ex Libano monte effossum. 82. 83. χαλκοκνημῖδες Ἀχαιοί. 89. 91. χάλκη. 27.

FINIS.

ANTONII BYNÆI

SOMNIUM
DE LAUDIBUS CRITICES.

Curis secundis recognitum.



DORDRACI
Ex Officina Viduæ *Caspari*, & *Theodori Goris*.

CIↃ IↃC LXXXII.

CLARISSIMO VIRO

JOHANNI GEORGIO GRAEVIO,

S. P. D.

ANTONIUS BYNÆUS.

MAgnam felicitatem mihi adeptus videor, quod, cum amore politiorum literarum ab ipsa adolescentia flagraverim ardentissime, te Doctorem nactus sim, qui illas cum immortali tua laude, & omnium gentium admiratione tractas, & summa humanitate complecteris omnes, in quibus est aliqua non alieni à Musis, & iis artibus omnibus,

quæ ingenuo homine dignæ sunt, ingenii significatio, cum alios instruendi, & ad veram & solidam eruditionem inflammandi, tuum sit maximum & indefessum studium. Hoc enim consecutus sum, ut tuis saluberrimis præceptis à prava & sordida studiorum ratione averterer, & iter tutum ad omnia præclara & sublimia viderem, & tu, cum non omnino invita Minerva hæc me colere judicares, singulari cura meos conatus adjuvares, & domum, & bibliothecam, &, quod majus est, ipsum pectus aperires, &, nequid deesset, gratiam multorum hominum illustrium, inprimis Nobilissimi & Summi Viri, cum quo maximæ tibi fuerunt ami-

amicitiæ neceſſitudines, NICOLAI HEINSII, conciliares, quem, inevitabili fatorum lege nobis & Reipublicæ literariæ non ita pridem ereptum, ſuo merito lugemus, cum nemo ignoret quantus vir fuerit, non tantum omni literatura & bonis artibus longe inſtructiſſimus, verum etiam qui in carminibus novis, quæ elegantiam & puritatem priſci Latii redolerent, pangendis, & veteribus caſtigandis ac ſuo decori reſtituendis, vix ullos pares, neminem ſuperiorem haberet. Quare, cum id omne, quod in ſtudiis præclararum artium, quę ab humanitate nomen habent, profecerim, uni tibi debeam, nihil prius in votis habeo, quam

ut insigni munere declarare possim, quantopere me tibi devinctum agnoscam. Nunc, quando id quod cupio consequi nondum possum, id, quod proximum est, sedulo facio: Colo memoriam tuorum erga me meritorum, & de tua admirabili doctrina, recondita omnium artium scientia, singulari eloquentia, incredibili humanitate & suavitate morum, qua omnium voluntates & animos tibi devincis, quoties occasio est, prædico, licet sciam nihil ad gloriam tuam meo testimonio posse adjici, quia monumenta ingenii tui plurima & pulcherrima, quibus ævum nostrum illustrasti, & literis elegantioribus, inprimis auctoribus me-

melioris ævi tantum adjumenti & luminis attuliſti, ut nulli, qui in hoc ſtudiorum genere elaborant, ſis ſecundus, te ſupra laudem omnem dudum extulerunt, & fama tua non ſolum Fœderatam Belgicam noſtram, verum etiam alios cultiores populos pervaſit, adeo ut omnes, quotquot ſunt hac ætate viri literati ac ſtudiis doctriniſque dediti, te ament, & ipſi Principes, qui eruditionem ſciunt ſuo pretio æſtimare, te ornent, tanquam primarium ſeculi virum: Et vel hunc ingenii mei fœtum, in quo ea ſtudia defendo, in quibus tu unus omnium maxime excellis, uti ante ſeptennium ſine tuo nomine & patrocinio prodire nolui, nunc iterum tibi in-

scribo, ut testimonium aliquod sit grati & memoris animi, & incredibilis observantiæ erga te meę. Quod si tibi persuaserit, omnia me consecutum existimabo. Vale seculi & eruditionis decus. Piershillæ in Batavis Kal. Martiis Gregorianis CIↃ IↃC LXXXII.

CAN-

CANDIDO LECTORI.

EA tempestate vivimus, qua tanta hominum ineptorum multitudo est, qui melioris literaturæ & Critices scientiam reprehendunt, & eos qui operam in tam nobili studio collocant, derident, ut per hos si staret, hæc à tot illustribus & magnis Viris, eleganti ingenio & doctrina præditis, tam diligenter culta studiorum ratio, neglecta prorsus & contempta, omnem suam dignitatem in perpetuum amitteret. Ante septennium in homines istiusmodi leporibus lusimus, & Criticæ majestatem ab eorum calumniis vindicare Sumus studui. Quæ lucubratio faventia plurimorum judicia experta fuit.

Nisi quod homo quidam, qui barbarum loquendi genus, quod multis Philosophis etiamnum placet, putida dissertatione defendit, calumniatus sit nostrum scribendi modum, & vigilantem somniare vulgo perinde haberi ac snaviter delirare, dixerit. Qui miser se expertem omnis elegantiæ & humanitatis ostendit, & ignoravit, dum me accusat, se Viros Maximos, Lipsium, Nannium, Cunæum, Ferrarium accusare, quorum ego somnia imitari malo, quam illorum obscuras vigilias. Id quidem tam parum me movit, ut etiam hoc Somnium *hic adjungendum censuerim.* Vale.

IN

IN

SOMNIUM

Ingenioſiſſimum

Viri Elegantißimi & Pereruditi

ANTONII BYNÆI,

ULTRAJECTINI.

Laurigeri ſapiant Parnaſſi in vertice vates,
Stans mediâ Orator *Palladis Arce ſapit.*
Prima Poëtarum laus, ſomnia fingere: ſed nunc
Rhetoris (en!) cerebrum Somnia *ficta parit.*
Haud aliter Jove nata ſuo Tritonia quondam
Prodiit, & vatum fabula facta fuit.
Aurum alius, longos alius ſibi ſomniet annos,
Et quodcumque nivis more perire ſolet;
Scaligerum *ingentem qui ſomniat atque* Sophîam
BYNIADES, *Orbi ſe vigilare probat.*

Quàm lepidè noſtras furatur & abripit aures!

Rhetoricum quantâ diſſerit arte melos!
Utile dum dulci, veris dum Somnia *miſcet,*
Diſcimus attenti ſola polita loqui.
Nox cæca & vocum Chaos *hæc poſt* Somnia *cedent,*
Quæque latent, poterunt Sole recente frui.
Barbara, ſic abeat, BYNI, *farrago loquelæ,*
Sic, nove Linguarum Phoſphore, *redde diem.*

LUCAS VAN DE POLL.
J. U.D. & in Academia Ultrajectina Profeſſor.

AN-

ANTONII BYNÆI SOMNIUM DE LAUDIBUS CRITICES.

Auditores omnium ordinum atque ætatum Nobilissimi & Præstantissimi.



On mirum homines eruditos, & sapientiæ studiis excultos, inter quos summa deberet esse animorum conjunctio, jurgia, discordias, simultates exercere, & se invicem hostili pœne animo lacessere, cum libido contendendi, quæ vivos inquietat, mortuos non deserat, aut odia post fata cessent. Hoc qui sciam, si quis quærat, ea dicam quæ in buccam veniunt. Non mihi viæ Appiæ Curator, qui Claudium se vidisse dixit cum in cœlum faceret iter, à quo omnia, quæ post illius mortem acta sunt, audivit Seneca, narravit. Multo minus Menippus Cynicus,

senex salsissimus, qui sæpe Luciano secreta Deorum aperuit, ac in insulam, in qua eruditorum manes seorsim ætatem agunt, Petrum Cunæum duxit, & cuncta quę in ea peraguntur, viro exquisitæ eruditionis ac festivissimi ingenii ostendit. Non me Morpheus Deus, per fenestras binas, sicut Petrum Nannium, ad inferos demisit. Neque ex Jano Douza hausi, qui multa magno Lipsio ostendit, aut ex Lazaro Bonamico, qui alato equo instar Pegasi in Heliconem vexit Octavium Ferrarium. Quis ergo, dices, sive Deus, sive Genius, hoc indicavit? Desine tot quæstiunculis molestus esse, nam post somnum sum paulo morosior. Dicam tamen, si silebis: Mercurius, nepos Atlantis, Jovis qui perhibetur nuntius, per quem Cœlorum arcana cum mortalibus communicantur, videndum mihi præbuit in somnio. Video arrectis auribus & ore patulo vos expectare, ut meum somnium edisseram. Ego vero an id tutum sit nescio, cum olim Juvenis Hebræus male multatus sit ab ipsis fratribus, & per convitium,

qui

qui somnia enarrant, Josephi soleant appellari. Sed cum summus & divinus, omnis eruditionis princeps Aristoteles, de quo vere dici potest, licet cum multorum id invidia conjunctum sit, ex ingeniis Philosophorum, quotquot hac ætate nostra vivunt, in unum si conflata essent, confici non posse unum Aristotelem, tanto quemque meliorem esse, quanto meliora somnia videret, judicarit, securus quid de me dicturi sitis, explicabo somnium. Vos, qui audiendi desiderio tenemini,

Facite vacivas ædes aurium,
Mea ut migrare dicta possint quo volo.

Omnia noctis erant placida composta quiete;

cum in lectum me conferrem, & stragulis ad aures usque coopertus, paulo post in somnum lapsus sum. Atque uti animo multarum rerum species in somnis solent occurrere, cubiculum intrare mihi visus est homo juvenis, cum Petaso, Caduceo & Talaribus. Ex habitu, qualem in Poëtis descriptum legeram, facilè conjectabam Mer-

Mercurium esse. Is ad meum lectulum accessit, & virga sua tangens leniter: O adolescens, inquit, quoniam arcano quodam naturæ ductu, & monitis atque exemplis præstantium virorum incitatus, in ipsa sapientiæ atque eloquentiæ arcana penetrare, & utriusque abdita scrutari studes, nihilque quod vulgare & tritũ sit te delectat, favebo fervidæ virtuti tuæ, &, quod cæteris mortalibus negatum est, te in cœlum ipsum ducam, quod eruditi incolunt. Visurus es & auditurus, quæ nec oculis nec auribus à quoquam usurpata sunt. Sequere ergo, liti adfuturus, quam Philosophi Criticis moverunt, quæ hodie decidetur. Ego licet tali visu & alloquio ita consternatus essem, ut cum animo vocem plane amisissem, tamen mox collecto spiritu: Quæ, malum, inquiebam, in sede beatorum contentiones & discordiæ fervent? Isti hominum generi nunquam cum Criticis, dum in terris degunt, convenire novi, sed in cœlo, in quod jam constituti sunt mortali corpore soluti, semper credidi pacem summam & arctissimam animorum con-

conjunctionem esse. Sequere ergo me, Mercurius ajebat, & quæ supra fidem tuam esse dicis, oculatus testis cernes. Rei novitate & cupidine visendi incitatus, injectis tumultuarie vestibus, Mercurii vestigia sequor. Is quidem primo in profundam vallem, deinde ad montem duxit altissimum, qui caput supra nubila condebat. Hic mons, inquit, nos supra Lunam ducet, ubi non, ut quidam falso putant, Paradisus est, sed cœlum quoddam proprium eorum, qui doctrinæ studia secuti sunt. Mons totus erat saxeus, & undique præruptus, ac velut opere & consulto præceps. Sed in ima parte angusta semita, & paucorum notata vestigiis se aperiebat, quæ cum uni tantum esset pervia, & vepribus ac sentibus obsita, ascensum difficillimum præbebat. Dum ascendimus, Mercurium rogavi, unde acres istæ pugnæ ac contentiones, ad quarum spectaculum me vocaverat, ortæ essent. Longæ, tum Mercurius inquit, sunt ambages, nec res paucis expediri potest, summa tamen sequar fastigia rerum. Apollo ingens speculum habebat,

bebat, in quo quidquid ullo ævo aut uſpiam extitiſſet, uno obtutu cernebatur. Quod in penetralibus Theologorum, ſeu veterum, ſeu recentium erat abditum, patebat. In eo dolium Diogenis, Epicuri atomi & hortulus, fabæ Pythagoricæ proventu læto ubere, Platonicæ ideę cum recentiorum globulis æthereis, & quidquid docuit Peripatus aut Stoa, videbatur. Omne quod Juſtinianus ſanxit, aut Medicorum cura provida invenit, vel diligentia Hiſtoricorum literis mandavit ac memoriæ, ſeu fabuloſa Poëtarum natio excogitavit, cernebatur. Hoc, veluti imperii arcanum, magis quam Palladium ſervandum, Criticis Apollo dedit. Id omnes quam ægerrime tulerunt. Clamabant Theologi ſua ſacra jam vel ἀμυήτοις eſſe nota ac patentia, quod olim nefas habebatur in Cereris myſteriis. Iuriſconſulti & cum illis Medici, in ſuam meſſem falcem immiſſuros Criticos indignabantur. Philoſophi ſuam divinarum humanarumque rerum ſcientiam Grammaticis (uti Criticos vocabant per contemptum) committi ſuccenſebant. Tot contentionum cauſa ſpe-

culum

culum hoc fuit, ut olim vix plures aut majores pomum Eridis excitarit. Subito vero plerorumque animi ad pacem inclinarunt. Primi desistebant juris legumque periti, cum inter Criticos, Cujacium, Budæum, Hottomannum, Brissonium, Fabros, Tiraquellum, Gotofredum, Rittershusium, Rævardum, Donellum, Gifanium, Cunæum, utrumque Gentilem, & plura alia præclara nomina viderent, qui cum principe omnium Alciato, barbariem, quæ jus divinum atque humanum invaserat & occuparat, ope Critices & meliorum literarum feliciſſime profligarunt, atque ita Jurisprudentiam ad cultum pristinum & majestatem revocarunt: fateri item cogerentur sine rituum & antiquitatum, ac penitioris literaturæ, quam Critici profitentur, notitia, ne milleſimam quidem legum suarum partem posse intelligi. Eadem ratio Medicos permovebat, cum cernerent Galenum, omnium parentem, Criticum se præstitisse, multa in Hippocrate recensuisse, corrupta emendasse, transposita & loco mota in integrum restituisse, spurios legi-

legitimoſque libros diſtinxiſſe, & adverſus editores ejus & interpretes priores diſputaſſe: Hadrianum quoque Iunium, Mercurialem, Fuckſium, Cagnatum, Guillandinum, Ophtmannum, Giſelinum, Veſlingium, Bartholinum, Reineſium, magnos omnes & præclaros viros, artem Criticam exercuiſſe. Quieſcebant etiam Theologi, licet in ſacris periculoſam nimis Criſin gravarentur, monitis inducti Philippi Melanchthonis, qui ingenio, quo ſemper fuerat, pacifico, infeſtas inter partes ſe medium gerebat. Is oſtendit patres antiquiſſimos, ſummæ ac immenſę, ad ſtuporem omnium & admirationem, eruditionis viros, Criſin Theologicam exercuiſſe Originem imprimis Scripturæ varios interpretes inter ſeſe contendiſſe, & primo ſua Tetrapla è LXX. interpretibus, Aquila, Symmacho & Theodotione confeciſſe, deinde ubi editio in dolio Hierichunte, Palæſtinæ oppido, ſub Caracalla, item altera & ipſa in dolio apud Nicopolin, ſub Alexandro Mammææ, inventa eſſet, ſua Hexapla, poſtea cum ſacra Hebræo-

rum

rum monumenta, Hebræis literis & Græcis scripta adjeciſſet, ordinaſſe ſua Octopla, ac tandem unam verſionem, LXX. potiſsimum interpretes ſecutum, ſumma diligentia dediſſe, ac in illa, quæ addita videbat, obeliſcis jugulaſſe, quæ detracta eſſe animadvertebat, ex Theodotionis verſione accepta in contextum aſteriſcis ſive ſtellulis notaſſe, diverſas denique ſcripturas appoſitis lemniſcis indicaſſe. Quin maximum ſanctiſſimumque virum Hieronymum, in cujus ſcriptis tum præclara eruditio, tum ſumma ac ſtupenda pietas elucet, in Commentariis præſertim, Criſin hanc exercuiſſe, & de lectionum ac interpretationum varietate ſæpe diſputaſſe. Hos vero cum alios, tum majorem omni laude, doctiſſimum ſummumque virum Patriarcham Photium ſecutum. Tandem cum hæc ſtudia abjecta eſſent & contempta, denſas illas tenebras orbem Chriſtianum occupaſſe, & graviſſimos ac fœdiſſimos errores in Eccleſiam irrepſiſſe, qui à ſe, & aliis præclaris viris, omni eruditionis copia inſtructis, diſcuſſi eſſent

&

& profligati. Addebat tanto quemque Theologum fuisse doctiorem, quanto diligentius his studiis incubuisset, ut exempla Calvini, Bezæ, Junii, Gomari, Riveti, Sculteti, Spanhemii, & multorum aliorum, qui suo tempore & postea vixissent, declararent. In obscuris autem Sacrorum Voluminum vocibus ac phrasibus, & gentium ac Judæorum antiquitatibus & ritibus nullos certius ac tutius consuli dicebat. Id docere scripta Munsteri, Fagii, Camerarii, Drusii, Merceri, Masii, Amamæ, Ariæ Montani, Bertrami, Botii, Buxtorfiorum, utriusque Capelli, De Dieu, Cartwrichti, Gaulmini, l'Empereurii, Scikhardi, Waseri, Hakspanii, Glassi, Fulleri, Petiti, Hottingeri, &, quos seu principes in omni genere scientiarum eruditus orbis admiratur, Josephi Scaligeri, Isaci Casauboni, Danielis Heinsii, Hugonis Grotii, Iohannis Seldeni, Claudii Salmasii, Gerhardi Iohannis Vossii, Samuelis Bocharti, quos plurima utriusque fœderis loca illustrasse, quæ absque iis fuisset, à

nullo

nullo Theologorum adhuc essent intellecta, constare inter omnes adjiciebat. Minime tamen paci studebant Philosophi, qui, quod diu odia cum Criticis exercuissent, undique convitiis eos proscindebant, imo linguæ volubilitate, quam in quæstiunculis & rixis exercuerant, oppressuros se confidebant. Hæc mali labes cum late serperet, Apollo intercessit, & minaci vultu. *Quæ insaniæ vos agitant & larvæ*, inquit, *quod Criticis invideatis, & me qui isto munere dignio-rem judicavi neminem, lædatis. Agite, in Sophiæ templum cras venite, & quæcunque contra Criticos habetis, libere proferte. Se ipsos Critici defendent. Sophia, ponderatis rationibus, litem vestram decidet.* Instat ergo nobilissima concertatio, ad cujus spectaculum te vocavi. Vix ea fatus erat, cum jam ad verticem & cœlum ipsum perveniissemus in quo eruditi sedibus sacris fruuntur. Tum me Mercurius nebula operuit, ut, Æneæ instar, omnia circumspectarem, ipse invisus. Cœli autem hujus qualis pul-

pulchritudo sit, neque ego memorare, neque ullus, vel maximi nominis orator, adumbrare potest. Majus enim hoc quiddam est, & sola mente contemplandum, quod auditu aut narratione percipi nequit. Dum omnia summo cum stupore & admiratione lustro, jam undique ad templum eruditi ibant. Monet tum Mercurius ut & ipse properarem. Ego, licet jam defatigatus & sudore madens præ lassitudine vix ejus premerem vestigia, gressus tamen quantum potui promovi. Templum antiquum erat & augustum, è duro ac plane niveo marmore constructum, & sublimibus columnis sultum. Unicolor ejus marmoris candor, qui incomparabili splendore præstringebat oculos, conspectum templi commendabat. In medio solium constitutum erat aureum, gemmis distinctum, quæ internitentes insatiabili contemplatione spectantes tenebant. A dextra parte solii Critici consistebant, à sinistra Philosophi. Ego cum oculos in Philosophorum turbam conjicerem, mirifico quodam videndi magni Aristotelis desi-

desiderio incendebar. Itaque, ad Mercurium conversus, ut illum mihi ostenderet rogavi. Eum non adesse Mercurius respondit, quia, cum summus ipse Criticus fuisset, qui Grammaticæ & Criticæ initia dedisset, ac inde nomen Critici pro merito tulisset, & artem hanc adversus omnes sui ac superiorum temporum Philosophos exercuisset, tum judicia de omnibus Poëtis, in præclaro de Poëtica libello, cujus sola jam fragmenta exstant, divulgasset, Comicorum item fabulas recensuisset, & singulas cum accurata, quibus fuerant repræsentata, ratione temporum digessisset, ipsi denique Alexandro Poëtarum principem Homerum emendasset, & Homericorum dubiorum libros sex scripsisset, Criticorum causæ nimium favebat. Hinc etiam, Mercurius addebat, nec maximus virorum Julius Cęsar Scaliger illorum causæ voluit adesse, qui animo excelso & heroico, ad instar Principis Philosophorum censorem Poëtarum egit se acerrimum & Criticum accuratissimum: Nec conspicies Marcilium

Ficinum, Picum Mirandulam, Ludovicum Vivem, Rodolphum Agricolam, & Petrum Gaſſendum, qui omnes ſummi cum exiſterent Philoſophi, artem Criticam non neglexerunt. Tota turba, quam vides, eſt illorum, qui heri nati & nudiustertius, cum unam quæſtiunculam aut duas controverſias intelligere ſe arbitrantur, ſolos ſeſe ſapientes putant, & antiqua nunquam conſulunt, ſed damnant. Inter hos ſermones inviſitato fulgore templum illuſtrabatur, ac Diva Sophia intrabat, inceſſu gravi, matronali decore & habitu veneranda, ore tamen puellæ propiori. Formam pulcherrimam depingere nequeo, cum ex oculis, quavis ſtella clarioribus, quidam quaſi fulgor eluceret, ut diutius eam intueri non poſſem. Veſtes neque magno artificio confectæ, neque multa cura erant circumpoſitæ, ſed tunica puriſſimi candoris, ipſo ornatus neglectu majeſtatem conciliabat. Dum prętergreſsam diligentius contemplor, tunicam video neſcio quibus atris & mille maculis variegatis pannis deturpari. Quare, ſtu-

ſtupore perculſus, Mercurium rogavi, unde hæc ſplendido veſtitui aſperſa eſſet fœditas? Is reſpondit eſſe ſequioris ſeculi doctorum laceros, atque infimæ notę verſicolores pannos, inæqualiter aſſutos. Interea in ſolium aureum Diva Sophia reſedit, & ſilentium per præconem fieri juſſit. Simul è Philoſophorum turba quidam ſurgit, faſtu plenus, & cæterorum contemptum præ ſe ferens, qui omnibus aliis audacior & confidentior, dicendi partes ſibi arrogaverat. Hic cum

——— *propexam in pectora barbam*

ter quaterque manu permulſiſſet, & vultu ad ſeveritatem compoſito frontem corrugaſſet, ſupercilia mira arrogantia tollebat, & hiatu magno neſcio quę promittere videbatur. Tandem duos *ſyllogiſmos figuræ quartæ* (quam præ aliis ſibi placere velut per parentheſin addebat) expromit, & bellis aliquot concluſiunculis ex artis ſuę diſciplina, multa Divæ Sophiæ, quæ nihil ad rem attinebant, probare nititur. Tum nihil Criticorum gente vilius & pretii

minoris esse, hoc argumento convincebat, quod ad quam *Categoriam* referendi essent disputari posset. Non tulit declamantem Diva Sophia, sed silentium imperavit, simul medicum jussit arcessi, qui hellebori ipsi daret quantum satis esset, vel, si non sanari posset, in exilium ad Cimmerios deportaret, ubi lucem non videret, & in *scala prædicamentali* ascenderet & descenderet, tam irrito labore, ac saxum suum semper volveret Sisyphus, aut pertusa dolia Danaides replerent. Mirus inde fit tumultus & animorum consternatio, quod patronus ille causam pessime egisset. Orant tamen Divam Sophiam, ne unius hominis inscitia dicendi ipsis copiam adimeret. Concedit Diva, sed ea lege, ne producant hominem, qui, in artis suæ ostentationem, ineptior quam prior esset. Ergo circumspiciunt cui partes illas tutissime mandarent. Inprimis duo erant, in quos omnes oculos conjecerant. Ego, quo nomine vocarentur, submissa voce Mercurium rogavi. Ille Dormitantium unum, alterum Fabriculanum

num dixit, & magni nominis inter ſuos eſſe. Cum diu dubii hæſiſſent, tandem omnium ſuffragiis Febriculanus deſignatus eſt. Is vero, cum aliquamdiu meditabundus conſtitiſſet, ita fari incepit.

CUm me illius, *Diva Sophia*, qui in hanc arenam ante me deſcendit, exemplum moveat, ut potius oratorum more, quam ſecundum artis noſtræ regulas diſputaturus ſim; oro atque obſecro, ne cauſæ noſtræ præjudicet, ſi non tanta cum verborum pompa & eloquentiæ oſtentatione, quam hi Grammatici ſolent, verba faciam. Rebus enim gravioribus & ſublimibus formandis cogitationibus occupatus, ad has minutias nunquam deſcendi, ſicut hæc Criticorum natio, quæ talium ineptiarum triſti labore defungitur. Nam cum verba mentis noſtræ & meditationum ſint interpretes, in id tantum incumbendum Philoſopho exiſtimavi ſemper, ut ea clara & noſtro ævo uſitata adhibeat, licet non in Cicerone &

scriptoribus aliis, è quibus illi homines suos flosculos velut è capsula proferunt, inveniantur. Quare Te rogo, *Diva Sophia*, ut non tam verba, quam argumentorum, quibus contra illos sum disputaturus, pondera, considerare velis & perpendere. Atque, ut in unam rationem, quæ mihi quidem non videtur posse convelli, omnia contraham, cum præstantia & eximia hominibus nugarum & quisquiliarum investigatione tantum occupatis committenda non sint, manifestum est, nec hoc doctrinæ speculum pretiosissimum Criticis credendum esse, quorum omnis cogitatio & industria in levibus & minimi momenti rebus tota versatur. Hi vietas & rancidas tantum observatiunculas proferunt, quasi iis ignoratis Respublica literaria periret, ac in eo disputant, *Virgilius* scribendum sit an *Vergilius*, & Noctium Atticarum auctor *Agellius* vocandus an *Aulus Gellius*. Tales quæstiones hi vani homines, & sui ostentatores maximi, avide captant & arripiunt, ex tali mustaceo laureolam quærunt, totamque ætatem in nu-

gis

gis istiusmodi terunt. Hos capita & diatribas conscribere videas, si non integra volumina, de antiquis illis næniis, Homerus an Hesiodus sit natu major. Et istorum fidei augustum illud omnis doctrinæ & scientiarum speculum committi, quis sine summa indignatione ferat? Quot non illi somnia invehunt, & ridicula ac supervacua discunt? Quot non vanas res miseris laboribus colligunt? Operæ pretium est illa referre ac recensere quibus maxime gloriantur & superbiunt. Si MS. aliquod nacti fuerint, qualia summo studio undique conquirunt, & è Bibliothecis eruunt, ac in eo vocem aliquam paulo aliter quam in editis scriptam repererint, vel literam mutatam, statim corrigunt, & εὕρηκα quam maxime clamant, majoremque gloriam in tam bella inventione collocant, quam si Babylona vel Trojam ipsam expugnassent; & de literula ac syllaba triumphant, quas jugularunt. Quasi multum in ea re situm esset, an sic an vero aliter auctor scripserit. Tum quidquid non implet, ut ipsi solent dicere,

aures eorum, vel non Latinum satis videtur, statim de mendo suspectum habent, ac ex conjectura illud corrigunt, vel si verum audire velint, corrumpunt, & loca sana lacerant, distrahunt ac pervertunt. Veri librorum carnifices & pestes, qui auctores urunt, secant, mutilant, ac pro suo lubitu eorum membra transponunt, & monstra quædam ex iis conficiunt. Adeo ut jam vere dici possit, quod de Homeri exemplaribus olim dictum est, auctores multo meliores & emendatiores esse, qui minime sunt emendati. Quod si illi homines hoc speculum retineant, futurum prævideo, ut sibi omnium rerum ac disciplinarum peritiam sint arrogaturi, &, pro suo corrigendi omnia & emendandi pruritu, in scientiis & artibus cuncta depravaturi & innovaturi. Quare, Divarum omnium pulcherrima, Patrona nostra & Præses, coram cujus tribunali in sanctissimo templo convenimus, Te oro venerorque, ne diutius patiaris præstantissimum hoc doctrinæ speculum à Criticis teneri, sed istis hominibus abjudices,

ne

ne cuncta pereant, & artes, scientiæ, disciplinæ corrumpantur, & quid detrimenti capiant.

VArii post hanc orationem motus animorum fuerunt. Philosophi plaudebant, ac veluti triumphum canere incipiebant. Sed bilis mota est Criticis, cum omnes se notatos cernerent. Et quamvis singuli certatim & flagrantissime respondendi partes exposcerent, & magno studiose componerent ad dicendum, tamen uni omnium calculis Ræ demandatæ sunt. Regius decor corporis, venerabilis aspectus, elegantis senectæ eximia species, oculi acres, qui animi vigorem præ se ferebant, & seriæ gravitatis lineamenta virum non vulgarem ostendebant. Quis esset, Mercurium rogavi. Is, inquit, est Josephus Scaliger, fama super æthera notus, quem vel admirari satis, vel, ut par est, prædicare nemo potest. Statim vero ut ad dicendum surrexit, tantum repente fuit silentium, quale Turcarum esse dicitur, cum in templis

sedent. Ille gravitatem ac majestatem vultu præferens, in medio constitit,

—— exspectatoque resolvit
Ora sono. ——

INveniri quamplurimos, qui res præstantissimas, & plane divinas, contemnunt, vel etiam carpunt, & siniſtre detorquent, quid mirum, *Diva*, cum vel hic homuncio multa in dedecus & opprobrium nostrum declamare non erubuerit. Sed faxo jam intelliget, ac Tu, *Diva*, testis eris, quantum differant excelsi animi & cordati ingenii viri, ab hominibus imperitis, qui invidere quam imitari bonos malunt, & non tantum ex eorum, quæ non didicerunt, contemptu, velamenta ignorantiæ, sed, quod pejus est, ut aliis noceant, in frigidissimis ac jejunis calumniis latebras quærunt. Multa sane convitia in nos congesit Febriculanus, & plurimarum noxarum reos peregit, inepta sua & iniqua declamatione, cujus vestigia videbo an respondendo se-

qui

qui queam. Quam lepidè se in ipso limine excusat, cur non ornate ac diserte dicat, quia rebus gravioribus scilicet intentus, artem dicendi excoluerit nunquam. Quasi sapientię percipiendæ tantum incumbere & immorari pulchrum esset, bene dicere autem absurdum foret, & istorum hominum gravitate indignum. Quasi quis non posset eleganter & copiose dicendi laudem, ac rerum scientiam sibi comparare, simul eloquens esse & Philosophus? Usque adeo imperitus es, Febriculane, ut summam in veteribus Philosophis dicendi vim ac copiam fuisse nescias? Ut tibi lateat magnos illos viros, omni studio & labore assequi contendisse, ut, quæ pulchre cogitabant, apte possent & ornate explicare, cum scirent rerum scientiam sine verbis aut nullam & imaginariam, aut mutam & mutorum esse? Si vel solum legisses Aristotelem, scires non tantum orationis flumen aureum fundere, sed insuper præcepta dicendi unum omnium optime tradidisse. Si antiqua consuluisses, didicisses Socratem,

mortalium sapientissimum, etiam eloquentia omnium facile principem fuisse habitum, & Platonem, cum summa Philosophiæ scientia, tum tanta fuisse elegantia, ubertate, jucunditate & majestate dicendi, ut Jovem ipsum, si loqui unquam voluisset, Platonis sermone usurum, neque melius aut ornatius loquuturum veteres dixerint. Theophrastum etiam, maximum Philosophum, à divinitate loquendi nomen invenisse, & Xenophontem, propter dicendi suavitatem, Musam & Apem Atticam vocatum. Est enim illa præclara rerum scientia, quam tu falso profiteris, cum facultate ornate copioseque loquendi tam arctè conjuncta, ut qui has distrahere conetur ac divellere, quasi corporis & animæ discidium inducat. Te rebus gravioribus intentum verba neglexisse dicis: Quasi non tot barbara vocabula, prisco Latio inaudita, quæ Marcus Varro, Romanæ Linguæ peritissimus, prorsus ignoraret, & Terminorum monstra, quæ avorum temporibus, cum purus sermo jacebat neglectus, in scientias in-

introducta sunt, quibus ipsa sapientia, à tot illustribus ingeniis olim culta, tantum à pristina dignitate, quantum à dicendi nitore receſſit, didiciſſes, quæ nihil aliud quam verborum concertationes sunt, in id inventæ, ut inania verba sine rebus imbibantur. Hæc tamen si quis eructare norit, alte supercilia attollit ac se magnifice effert, cæteros despicit & sua admiratur. Quod si illi, qui talibus adhuc delectantur, viam veterum & rationem, qua in Philosophia tradenda usi sunt, perveſtigarent & intelligerent, fors esset ut ad horum exemplum iis abstinere mallent, quam sapientibus & ingenii exculti viris ludibrium cum risu debere. Quanta eloquentia Philosophica tractavit Tullius & Annæus Seneca, Naturalia Plinius & Astronomica Manilius? Quos si vel inspicerent, illico forderet hæc vulgata Philosophandi ratio. Sed quia hi non sunt ad eorum palatum, etiam alios ab illorum lectione arcent, & ingeniis, in quorum cultura non minima spes est, istum tramitem inficetorum Philosophorum percur-

rere præcipiunt. Hic tamen nos Grammaticos audet vocare, ac calumniari, nos in levibus & minimi momenti rebus confeneſcere. Quo ipſo ſummam antiquitatis omnis ignorantiam oſtendit, & ſuam infantiam prodit. Grammaticorum quidem nomine cenſentur hac tempeſtate, quorum omnis induſtria in tradenda pueris elementorum ratione verſatur, quos γραμματικὰς Græci, *Literiones* Latini appellarunt, quam artem etiam omnes pædagogi quotidie tractant. Hanc pueris & eorum præceptoribus linquendam, ac vix inter diſciplinas reponendam cenſeo, licet in ea excelluerint, apud Græcos Herodianus, Tryphon, Apollonius Alexandrinus, apud Romanos Scaurus, Donatus, Plinius Secundus & ipſe Iulius Cæſar. Sed veteribus Grammatici erant & dicebantur, tum qui abſtruſas hiſtorias, Poëtarum mythologias, & Oratorum monumenta explicant, ac omnes ſcriptores interpretantur, quos *Literatos*, & *Philologos* appellabant, tum, qui ubi in abdita doctrinæ penetralia ſe inſinuarunt,

judi-

judicium de omnibus scriptoribus tam novis quam antiquis ferunt, depravata emendant, ambiguas & variantes lectiones colligunt, quæ falsas inscriptiones mentiuntur suis Auctoribus asserunt ac vindicant, loco mota reponunt & restituunt, errores aliorum notant ac castigant, & veluti censores atque principes pro tribunali sedent, & sententiam de omnibus pronunciant ac scisciunt, quos *Criticos* vocabant. Quare, quod ille maledictum vehemens existimat, ego laudem duco maximam: neque enim multorum est, sed paucorum. Nam sive illos spectes, requiritur in iis omnis eruditio.

Ut legat historias, auctores noverit omnes
Tanquam ungues digitosque suos: ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen patriamque novercæ
Archemori: dicat quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

Sive

Sive hos, isti non una disciplina contenti, quoniam omnium unum quoddam vinculum ac corpus esse sciunt, stupendo labore scientiarum orbem totum pervagantur & perficiunt. Hinc veteres non unam illis disciplinam tanquam propriam, sed in universum omnes subjecerunt, & judicium de scriptoribus cujusque generis permiserunt. Tales Criticos, qui in conservandis & emaculandis scriptoribus operam posuerunt, nemo ignorat, nisi barbarus, ab omni ævo & in omnibus cultioribus & humanioribus gentibus extitisse. Apud Hebræos Masorethæ fuerunt, quorum miranda circa S. Codicem industria & singulare studium ac diligentia eluxit. Nam & Bibliorum scripta apicibus & punctis vocalibus exornarunt, & varias lectiones diligentissime annotarunt, & stupendo labore non modo quot commata & verba, sed etiam quot literas continerent libri singuli, numerarunt. Arduum opus; quod vel ipse Hercules non minus quam tertium decimum laborem exhorruisset. Apud Græcos divinum & incomparabile Aristotelis ingenium effulsit, à

quò

quò Criticen initium cœpisse existimant. Tum Aristarchus extitit, vulgo χειλικὸς dictus, cujus opera in colligendis Homeri scriptis laceris, & notandis spuriis versibus, fuit occupata. A quo tempore Homero immortalitas data est. Fuere quoque Censores Comicorum, ac Poëtarum judices, quales quinque Athenienses habuerunt. Dein huic studio incubuere Crates, Aristophanes, Nicander, Callimachus, Apollonius Rhodius, Chrysippus, alii Heroes magni, quos Philologos, Polyhistoras, & πολυμαθεῖς, à multiplici rerum scientia, & immensa eruditione veteres dixerunt. Hujus ordinis plurimos habuerunt Romani, quales fuerunt Marcus Varro, togatorum doctissimus, qui Plautinas comœdias insigni diligentia recensuit, Nigidius Figulus, Verrius Flaccus, Palæmon, Sisenna, Santra, Nicias, Nicanor, Valerius Probus, Læneus Pompeji M. libertus, Varius & Tucca, qui Augusti jussu Virgilium emendarunt, Ælius Iurisconsultus, Asconius, Agellius, Servius, alii, per quos illibatus mansit honor

nor auctorum præstantium & Latinitatis. Intravit & Critica consularem domum M. Tullii, quem non piguit Lucretii de natura libros emendare, & ad Atticum disputare, Piræum an Piræeum scripserit Cæcilius. Tandem, cum profligata barbarie, qua jacuerant scriptores elegantes, situ squalidi, & pulvere, qui meliorum librorum partem exederat, obsiti, necessarium esset, *ut homines docti tollerent* maculas, quas temporum injuria & imperiti librarii inusserant, studium hoc præstantissimum in Italia suscitatum est, ac dein in omnibus Europæ partibus extiterunt plurimi summi viri, qui veterum librorum ope & ingenii præstantia, tot Philosophorum, Historicorum, Oratorum, Poëtarum, S. denique Patrum vulnera sanarunt, quæ seculis istis infelicibus acceperant. *Cernite hic mecum* Angelum Politianum, Hermolaum Barbarum, Petrum Victorium, Laurentium Vallam, Desiderium Erasmum, Carolum Sigonium, Aldum & Paulum Manutios, Antonium Muretum, Adrianum Turnebum, Iustum

Lip-

Lipsium, & complures alios, quos enumerare longum esset, ingeniorum & eruditionis principes, quibus salutem suam se debere optimi auctores confitentur. His tamen Criticis hoc crimen impingit Febriculanus, quod non nisi levia sectentur, & omnis eorum opera in nugis versetur. Qua noxa non omnes, qui se Criticos vocant & tales censeri volunt, absolvo, cum non pauci reperiantur, qui studium hoc calide nimis amplexi, & nec ab ingenio, aut judicio, & varia doctrina abunde instructi; leviſſimas tantum res & inutiles afferunt, ac majestatem Criticæ jejunis suis obsevatiunculis imminuunt. Nam cum ad eam ingenium summum, judicium acre, nec vulgaris sed eximia requiratur eruditio, facto agmine involarunt homines ambitione cæci, qui famam nominis ex inanibus rebus petierunt, & sicut olim ridenda barbarie, ita næniis sua volumina implerunt, ac Criticæ dignitatem ineptiis suis inquinarunt, quod malum plurima in rem literariam incommoda invexit. Sed hoc Criticæ, & viris magnis, quos majorum

jorum gentium Criticos appellare licet, fraudi esse minime debet. Pari jure enim vel ipsa Philosophia, quia multi, qui Philosophorum sibi nomen arrogant, nugatores sunt maximi, & vanissimis rebus immersi, in intricatis controversiis, contortis quæstiunculis, futilibus næniis omnem ætatem misere transigunt, proscribenda esset. Veros Criticos levia tractare nemo sanus dixerit: nisi leve ducatur veterum scripta, ex quibus omnis solida eruditio haurienda est, à vitiis & mendis liberare, cum vel unius literulæ erratum, eruditis alioquin viris, tantas sæpe offundat tenebras, ut velut in illuni nocte errent. Nisi leve sit auctores veteres à mendosis translationibus vindicare, quæ sensum eorum plane pervertunt, & viros doctissimos in errores maximos præcipitant. Nisi leve denique sit librariorum fucos & fraudes detegere, libros falso inscriptos, magnisque scriptoribus suppositos deprehendere. Verum hac calumnia non contentus Febricalanus, etiam Criticos dicit, si modo nacti sint aliquod MSS, & in eo invenerint literam

teram mutatam, ſtatim corrigere, vel, quod verius eſt, depravare. Sed hoc vitium eorum eſt, qui nullo judicio in his literis verſati, genuinas falſaſque lectiones diſcernere nequeunt, veros germanoſque Criticos non tangit. Hi enim MSS. ſummo cum judicio tractant, neque omnia promiſcue ex iis arripiunt, ſed vel menda manifeſta, aut adhuc latentia, eorum ope corrigunt & indagant, vel majorem elegantiam aut commodiorem ſenſum in iis ſi repererint, auctoribus reſtituunt. Hoc maximum pulcherrimumque facinus eſſe, hoc laudem & gloriam nunquam intermorituram Criticis afferre quis neget? niſi argutuli quidam magiſtelli, qui hujus operæ dignitatem ac præſtantiam neque videre, neque dignè æſtimare ſciunt. Sed hos generoſo contemptu facile ulciſci poſſumus, & craſſa illorum judicia ridere. Nulla ſane tutior aut certior eſt emendatio, quam quæ ex MSS. petitur. Sed illa recte tractare, non eſt è plebe doctorum, ſed pauciſſimorum, qui diu in lectione auctorum verſati, cum omnigenam ſibi eruditionem

tionem pararunt, summa diligentia & judicio quam maxime subacto, illud aggrediuntur. Addit Febriculanus, à Criticis ex conjectura pleroſque auctores non corrigi ſed corrumpi. Eſt quidem illa emendandi ratio periculoſa, ſi temerarii quidam juvenes aut pueri ſenes in eam inciderint. Quorum ego corrigendi pruritum quam maxime culpo. At ſi à viris in conjectando ſagacibus præſtetur, non adeo lubrica eſt & incerta, aut plane damnanda. Sunt enim eorum conjecturæ pleræque adeo claræ, liquidæ, & certæ, ut de illarum veritate dubitari non poſſit. Et licet, quod in illo negotio interdum fieri neceſſe eſt, quandoque fallantur, & perſæpe titubent aut cadant, cum nemo adeo ſit εὔστοχος, ut non aut temeritate interdum, aut incuria peccarit, non tamen ita omnino luditur opera, ut non hac ratione ſæpiſsime auctores juventur. Nam & plurima inviſa eruunt, & plerumque ſubnaſcitur alius, qui peccata priora animadvertat. Unde vel plurimum boni præſtant ipſi, vel præſtandi anſam ſequentibus præbent.

bent. Quot non loca vel ego in Varrone, Festo, Manilio, Ausonio, Poëtarum triumviris, Catullo, Tibullo, Propertio, & plurimis aliis scriptoribus hoc modo restîtui? Conjecturas autem suas, quas omnes præstare non possunt viri maximi, non pro verissimis ac certis venditant, sed, sequuti sapientum judicum rationem, qui, quod perpetuo jure non possunt, arbitrario decidunt, aliorum judiciis submittunt. Dein periculum esse clamat Febriculanus, ne cuncta in scientiis innovent Critici ac corrumpant. Misera profecto hæc temporum ratio est, ut ingratum & odiosum sit, quædam à genio seculi aliena proferre. Est hic hominum plerorumque morbus, ut quæcumque à receptis & inveteratis opinionibus recedunt, nova & periculosa clament. Sed vanissimus ille metus est, cum nova, quæ Critici proferunt, nulli observata prius, scientias illustrent, & doctrinæ campum latissime extendant. Vel Theologos quam multa docui? quot Scripturæ loca in meo de Emendatione Temporum opere & scriptis aliis explicavi primus,

quæ

quæ boni isti viri nunquam intellexissent? Quam multa in Hippocratis libello detexi, quæ Medici ne in somnis quidem viderant, neque suspicati sunt? Imo vos, qui Philosophos vos dicitis, quam multa Criticis debetis, cum eorum ope Aristotelem, Platonem, Theophrastum, cæterosque præstantes Philosophos emendatos & explicatos habeatis? Sed quia hi sunt supra captum vestrum, neque tantam peritiam habetis, ut eos Græce consulere & legere possitis, non mirum si Criticorum industriam & inexhaustum laborem æstimare nequeatis. Lateret in tenebris, & nodis plusquam Gordiis implicaretur genus omne disciplinarum, nisi Critici essent. Perirent sacra pariter ac profana, perirent omnium monumenta & eorundem cultores, nisi Critici conservarent. Rediret pristina barbaries, & rerum omnium ignorantia, nisi Critici obsisterent. Ut non tanquam corruptores librorum & scientiarum Critici exagitandi sint, sed summæ contra ipsis habendæ agendæque gratiæ, qui divinarum humanarumque rerum scien-

tiis

tiis opem ferentes, adminiculante laborioſa diligentia, excultiore ingenio, acriore judicio, omnigena doctrina, optimis quibuſque ſcriptoribus, qui ex illo Barbariei naufragio emerſerunt, ultro ſubvenere, ac ſingulos ſalutari luce perfudere.

PLura dixiſſet Scaliger, niſi è ſolio ſurrexiſſet Diva Sophia, & ſat multis validiſque rationibus Criticorum cauſam ab eo actam eſſe pronunciaſſet. Haud dici poteſt quanta tum rerum facta ſit mutatio. Critici cum gaudio & acclamatione Scaligeri orationem excipiebant, felicem ac lætiſſimum ſibi ſpondentes exitum. Philoſophis

——— *frigidus horror*
Membra quatit, gelidusque coït formidine ſanguis.

Nam & præſens pavor & futuri expectatio omnium animos repentino ſtupore defixerat. Jamque illi ipſi, qui ſe paulo ante extulerant, & crudele hauſerant gaudium

Tacent, & ora pallor albus inficit,
Menteſque perculſæ ſtupent.

ac ingens ille animus concidit, demiſſiſque ſtabant auriculis, aſellis omnibus iniquiores. Tum Diva Sophia breviter pronunciavit: *Sibi videri Recte & ex ordine Apollinem fe-*

cisse, quod isto speculo Criticos donarit, cum nulli digniores essent, qui omnes artes & scientias & claros auctores melius intelligere, explicare & conservare possent. Ab ejus tamen aspectu arcendos esse indoctos & litigiosos, qui augustum nomen Criticæ falso sibi vindicarent. Philosophi imposterum silerent, neve Criticis negotium facesserent, nisi male multari mallent. Tum læti sibi mutuo gratulabantur Critici, & Scaligerum, quod eorum causam optime orasset, dignis efferebant laudibus. Ego, cum isti hominum generi nimium semper faviſſem, me reprimere non potui, sed præ lætitia voce magna inclamavi,

Vicimus ô socii, & magnam pugnavimus pugnam,


atque ita somno statim solutus sum.


VALETE & PLAUDITE.

CORRIGENDA.

In Præfatione lin. 17. pro *Sumus studui*, scribe, *studuimus*: In Somnio pag. 21. lin. 12. pro *Ræ*, *hæ*.

Reliqua errata, qui in libellis de Calceis Hebreorum typographorum incuria omissa sunt, lectorum candidum ut mendet rogamus.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN